John A. D. Meakin.
19 January 1867.

3/6

SEQUENTIÆ

EX

MISSALIBUS.

Te mente purâ et simplici,
Te voce, te cantu pio
Rogare curvato genu
Flendo, et canendo discimus.

PRUDENTIUS.

SEQUENTIÆ

EX

MISSALIBUS

GERMANICIS, ANGLICIS, GALLICIS,
ALIISQUE MEDII ÆVI,
COLLECTÆ.

RECENSUIT, NOTULISQUE INSTRUXIT

JOANNES M. NEALE, A.M.

COLLEGII SACKVILLENSIS CUSTOS.

LONDINI:
APUD JOH. GUL. PARKER ET FILIUM.
MDCCCLII.

LONDINI:
IMPRIMEBANT SAVILL ET EDWARDS, CHANDOS STREET,
COVENT GARDEN.

VIRO CLARISSIMO

JOANNI D. CHAMBERS, A.M.

EO QUOD IN PSALTERIO

INSIGNIS AC PRÆCLARÆ ECCLESIÆ SARISBURIENSIS

ILLUSTRANDO,

PROPRÆTOR IPSE SARISBURIÆ,

EGREGIAM OPERAM COLLOCAVERIT,

D.

EDITOR.

PRÆFATIO.

QUUM de Hymnis medii ævi multa et a multis jamdudum prolata sint, in Sequentiis colligendis, illustrandis, elimandis, pauci laborem navare curaverunt. Eas tamen quamvis Hymnis penitus recentiores, gravitate tamen sententiarum, pondere verborum, virtute poeticâ nullo modo ab iis excelli, is audacter dixerit, qui *Dies Iræ*, *Stabat Mater*, *Lætabundus*, *Zyma vetus*, aliaque id genus multa in animo habuerit. Inde, quum apud nostrates Hymnologiæ jam reflorescat studium, haud inutiliter me operam locaturum esse credidi, si sequentiarum haud sine magno labore acquirendarum collectionem quâ possem diligentiâ in publicum ederem. Quid jamdudum in sequentiis edendis factum fuerit brevissime enarrabo.

Ex antiquioribus, tres libri facile in hâc materiâ principes inveniuntur. 1. Hymni et *Sequentiæ* cum interpretatione Hermanni TORRENTINI, Coloniæ. 1513 et 1536. 2. *Sequentiarum* luculenta interpretatio per Joannem ADELPHUM, physicum Argentinensem, collecta. 1519. 3. (Qui et præcipuus est) Elucidatorium Ecclesiasticum Jodoco

CLICHTOVŒO auctore, Parisiis, 1515, 1556: Basileæ, 1517, 1519: Coloniæ, 1732. Quartus enim liber sequentiarum explanationem continet.

At quum hi libri nec sine magno labore, nec sine immani pretio emendi sunt, unus instar omnium erit Thesaurus Hymnologicus Viri doctissimi, mihique amicissimi, Hermanni Adalberti Daniel. Tomus ejus secundus (Lips. 1844) sequentiarum amplissimam collectionem habet, tum ex prædictis libris, tum ex Missalibus, MSS. et impressis, confectam. Quod opus harum rerum studioso apprime necessarium est. Daniellus enim plus CXXX. Sequentiis totas dedit: primos quoque versus plus CCC, quas ille indigniores judicabat. Has, secundum temporis ordinem collocatas, luculentâ interpretatione, variisque lectionibus instruxit.

Hoc ergo ante omnia tenendum est: quod ille tam bene fecit, me noluisse iterum elaborare. Sed post illam messem haud ignobile spicilegium aliis relictum fuit. Ex Germanicis Missalibus ille plerasque collegerat sequentias: ex Anglicis vix ullas, ex Gallicis paucas viderat. Itaque mecum statui hoc modo me operi accingere, ut quæ ille jamdudum ediderat, nullo modo rursus ederem. Sic enim melius rei ecclesiasticæ consulturum iri. Itaque, qui quam amplissimam sequentiarum collectionem possidere velit, is et Danielli et meum librum necesse est possideat.

Jam ad Missalia &c. quibus usus sum perveniamus. Et hæc quidem in itinere Germanico mense Mai. anni superioris suscepto, obviam erant.

A. In Bibliothecâ Academiæ Lugdunensis. Horæ MSS. quæ in usum cœnobii cujusdam puellarum Batavi inservierat; ut credo, Delphensis. Perelegans est scriptura, nec mediocrem exhibent artem literæ initiales. Sæculi decimi quinti medii est, et orationes non paucas Belgice scriptas continet.

B. In Bibliothecâ Academiæ Trajectensis. Missale Trajectense (1513): Breviarium Coloniense (1500).

C. In Choro Ecclesiæ Cathedralis urbis Monasteriensis. Psalterium Monasteriense (1537): quod et hodie cantatur.

D. In Bibliothecâ Wolfenbüttelensi. Psalterium Lipsiense (1485); Missale Ordinis S. Benedicti Spirense (1498), liber rarissimus; Hymnarius (ita vocatur) anno 1530 excusus, qui tamen titulo caret; Missale sæculi xv., sine loci aut anni notâ. Hoc non dubito quin Ecclesiæ Augusto-Vindelicensis fuerit: in sequentiâ enim quæ in festo S. Afræ decantatur ita legimus, 'O Narcisse, nos fecisti Deo credere.' Hoc autem non nisi de Ecclesiis Augusto-Vindelicensi et Gerundensi (cujus certe non est) dici poterat. Horarium Spirense (1509); Missale Verdense (circ. 1500); Missale MS. Germanicum (circ. 1500) quod præclarissimas

easdemque rarissimas continet sequentias, *Potestate non naturâ*, et *Redeundo per gyrum;* Missale Argentinense (1520); Missale Herbipolense (1596).

E. In Monasterio Præmonstratensium Strahoviensi, quod apud Pragam est. Missale Pragense (1522).

Hi sunt libri, quos in Germaniâ habui. Grates autem maximas debeo et ago Viris Reverendis Gulielmo Blew, qui liberalissime mihi Missalia misit,—Andegavense (1523), Maguntinum (1513), Narbonense (1528), Ratisbonense (sine anni notâ), Salzburgense (1515); et Joanni Horner, qui tum Missale Andegavense MS. mihi mutuo dedit, tum sequentias ex Missali Nidrosiensi (Hafniæ, 1519) 'pro toto regno Norvegiæ,' exscripsit. Inter has quædam extant tum pulcherrimæ, tum prorsus hymnologis ignotæ. At quum non nisi libro partim impresso in manus venerint Prosæ Nidrosienses, aliquas ex eis in Appendicem rejicere necesse erat.

Gratiæ etiam quam maximæ agendæ sunt Viro Reverendo, et in hisce studiis peritissimo Richardo Trench, M. A.. Ille enim de locis perobscuris, quibus hæ scatent sequentiæ, non semel luculentam explicationem inquirenti mihi afferebat; adeo ut quæ mihi desperata viderentur, ab illo attrectata clarius luce evaserint. Nec mihi obtemperare possum quin doctissimum elegantissimumque opus,

quod his studiis dedicavit, commemorarem.[1] Tantâ enim disertiâ, tanto acumine, tantâ arte præstantissimos ex hymnis prosisque medii ævi collegit illustravitque, ut commentationis velut normam subsequentibus editoribus reliquerit. Pulcherrimum sane opus hoc uno pulchrius optaverim (veritas enim Platone magis amica est) ut se æquiorem in dogmata quæ a Protestantibus vel negantur, vel in dubium vocantur, monstravisset auctor.

Quas dedi sequentias, eæ sine vel mutatione vel abbreviatione eduntur. Inter Prosas Marianas, observandum est directissimas absolutissimasque ad B. V. orationes ab iis contineri, quæ recentissimæ sunt. Quæ omnium forsan vetustissima est, *Concentu parili*, a Daniello jam edita, moderatissimam Ecclesiæ sententiam de B. V. profert. Nec tamen inter seriores, illâ exceptâ, p. 133, quæ Mariam *salvatricem sæculi* vocat, extat ulla unde Oratoriani defendere suæ sectæ (faxit D. O. M. ne *hæreseos* aliquando dicendum sit!) doctrinam de hâc re innovatam possint.

Quam amplum his studiis adhuc exstet spatium vel ex eo patet, quod in Sequentiis investigandis Missalia Hispanica, Lusitanica, Pannonica, Dalmatica, Polonica, Suecica, Danica, Aberdonense,

---

[1] *Sacred Latin Poetry, chiefly Lyrical.* Londini: apud J. W. Parker, 1849.

pene intacta maneant. In variarum quoque officiis Religionum pauca admodum adhuc ab Hymnologis investigata sunt.

Interim faveat Lector benignus hisce nostris studiis, utpote quæ in Thesaurum Hymnologiæ Ecclesiasticum aliqua forsan haud prorsus spernenda injiciant.

Dabam e Collegio Sackvillensi,

In Sabbato post Pascha, MDCCCLII.


MISSALIA, EX QUIBUS SEQUENTIÆ DESUMUNTUR, HÆC SUNT.

Ambianense	—	Amiens.
Andegavense	1523 . .	Angers.
———— MS.	Sæc. xiv. .	—
Argentinense	1520 . .	Strasburg.
Atrebatense	—	Arras.
Augusto-Vindelicense MS. .	Sæc. xv. .	Augsburg.
Coloniense MS.	Sæc. xiv. .	Cologne.
Herbipolense	1596 . .	Wurzburg.
Leodiense	1513 . .	Liége.
Maguntinum	1513 . .	Mayence.
Narbonense	1528 . .	Narbonne.
Nidrosiense	1519 . .	Drontheim.
Noviomense	—	Noyon.
Parisiense	—	Paris.
Pictaviense	1524 . .	Poictiers.
Pragense	1522 . .	Prague.
Ratisbonense	—	Ratisbon.
Redonense	1523 . .	Rennes.
Salzburgense	1515 . .	Salzburg.
Sarisburiense	1555[1] . .	Salisbury.
Spirense	1498 . .	Spires.
Tornacense	1540 . .	Tournay.
Trajectense	1513 . .	Utrecht.
Wigorniense MS.	—	Worcester.
Verdense	circ. 1500 .	Verden.
Xantonense	1491 . .	Saintes.

[1] Hâc editione præcipue usus sum quamvis et alias adhibuerim.

DE SEQUENTIIS DISSERTATIO BREVIS.

DE sequentiis breviter dicturo, primum de earum origine inquirendum est: dein de progressu, additamentis, generibus, auctoribus, antiquatione, aliquid statuendum. Jam inde ex antiquissimis temporibus, id in usu Ecclesiæ Latinæ erat, ut inter Epistolam et Evangelium, extra jejunia, *Graduale* cum Alleluia diceretur. Rubrica Missalis Sarisburiensis: 'Dum Graduale canitur, duo de superiori gradu ad *Alleluia* decantandum cappas sericas se induant; et ad pulpitum per medium chorum accedant. Dicto vero Graduali ..... sequatur *Alleluia*. Chorus idem repetat, et prosequatur cum *pneumate*.' Ita Belethus: 'In hujus fine neumatizamus, hoc est jubilamus, dum finem protrahimus, et ei velut caudam accingimus.' Hunc scilicet in modum.



Quæ prolongatio syllabæ A ideo fiebat ut tempus ad se præparandum, et ad ascendendum ambonem, Diacono daretur. Sed, secundum pium ejus sæculi ingenium, quæ de necessitate facta erant, ad mysticam quandam et anagogicam (ut loquebantur) rationem referebantur. 'Solemus,' inquit S. Bonaventura, 'longam notam post *Alleluia* super literam A decantare, quia gaudium Sanctorum in cælis interminabile et ineffabile est.'—Quod vero sono tantum, non certis verbis hæ notæ alligabantur, ne hoc quidem, secundum Hugonem Cardinalem, significatione caret: 'quia ignotus nobis est modus laudandi Deum in Patriâ.'

2. Et hæc proprie est sequentia; neuma sive prolongatio ultimæ syllabæ τοῦ Alleluia. Ideoque dicta est sequentia, secundum probatiores auctores, quia modulationem et rhythmum τοῦ Alleluia sequebatur, eique obtemperabat. Alii tamen, inter quos est Michael Prætorius, huic causæ nomen referunt, quod scilicet immediate post neuma incipiebat Diaconus, '*Sequentia* Sancti Evangelii secundum N.'

3. S. Notkerus Balbulus, qui anno 1012 obiit, sequentiarum quas nunc ita nominamus a plerisque et doctioribus auctor fuisse creditur. Nec obstat, (quod a præcedentibus patet) de sequentiis in Missalibus Notkeri antiquioribus dici:—quum neumata significarentur. Joannes quidem Adelphus

sequentias nostras a Nicolao Papâ I. approbatas fuisse scribit. Sed, diligentius re inspectâ, patebit Nicolaum I., vel auctoris incuriâ, vel typothetarum negligentiâ, pro II. positum esse. Sedit autem Nicolaus II. ab anno 1058 usque ad 1061: quod optime cum communi de S. Notkero sententiâ congruit. Notkerus enim ipse in præfatione sequentiarum suarum ad Luitwardum hunc in modum scribit.

'Quum adhuc juvenculus essem, et melodiæ longissimæ sæpius memoriæ commendatæ instabile corculum aufugerent, cœpi tacitus mecum volvere, quonam modo eas potuerim colligere. Interim vero contigit, ut presbyter quidam de Gimediâ nuper a Nordmannis vastatâ veniret ad nos, antiphonarium suum deferens, in quo aliqui versus ad sequentias erant modulati, sed jam tunc, nimium vitiati. Quorum ut visu delectatus, ita sum gustu amaricatus. Ad imitationem tamen eorundem cœpi scribere: *Laudes Deo concinat orbis universus: Qui gratis est redemptus:* Et infra: *Coluber Adæ deceptor.* Quos cum magistro meo Ysoni obtulissem, ille studio meo congratulatus, imperitiæque compassus, quæ placuerunt, laudavit, quæ autem minus, emendare curavit, dicens: Singulæ motus cantilenæ singulas syllabas debent habere. Quod ego audiens, ea quidem quæ in *ia* veniebant ad liquidum correxi; quæ vero in *le*, vel *lu* quasi impos-

sibilia vel attemptare (*al.* attemperare) neglexi, cum et illud postea usu facillimum deprehenderim. Ut testes sunt: *Dominus in Synâ: Et Mater.* Hocque modo instructus, secundâ mox vice dictavi: *Psallat ecclesia mater illibata:* ille gaudio repletus rotulos eos congessit, et pueris cantandos aliis alios insinuavit.'

4. Ex illo tempore sequentiarum in Ecclesiâ crevit usus, non tamen sine morâ quâdam et oppugnatione. S. Odilo, sæculo xi., vix obtinuit ut apud suos Cluniacenses una sequentia, *Spiritus Sanctus nobis adsit gratia,* caneretur. 'In antiquis libris Romanis,' inquit Radulphus Tungrensis, 'aliquas vidi sequentias: multi autem multas introduxerunt; quisque gaudet suis novitatibus.' Apud Germaniam, Galliam, Angliam, innumera pene crevit multitudo; Itali vero semper sese duriores erga hasce prosas probaverunt. Et de his quidem optime, ut solet, Martinus Gerbertus, *De cantu et musicâ sacrâ.* Tom. i. p. 410.

5. Et primo tanquam ad fontem et originem referebantur sequentiæ ad istud Alleluia: ut videre est in missalibus antiquioribus, hunc in modum.

Natus ante sæcula . . . . A E U A
Dei Filius invi- . . . . A E U A
sibilis interminus . . . . . . &c. &c.

Semper autem, cum canebatur sequentia, omittebatur neuma post Alleluia. Rubrica Sarisbur:

'Deinde clerici incipiant *Alleluia* sine pneumate: quod per totum annum observetur, quando dicitur sequentia tantum. Quando vero non habetur sequentia, tum dicitur pneuma a toto choro post repetitionem Alleluia.'

5. Notkeriani carminis rationem permulti imitati sunt: nemo tamen melius quam Godeschalcus. Innumeri quoque scriptores usque ad sæculum xvj. sequentias isto modo composuerunt: jejuniores sæpius et obscuriores. Sed nimis acerbe de iis judicaverunt homines alioquin doctissimi. Ita qui plerumque pro antiquis pugnabat ritibus, Le Brun: 'Mais on ne doit pas beaucoup regretter la perte, la plupart n'etant que de pitoyables rapsodies.' Erant, fateor, in sequiori ævo inconditi sæpe et inficeti: sed et tum temporis erant quoque quæ non carebant mirâ suavitate et venustate. Quam religiose observatus hic ritus fuerit, testatur sequentia in impiâ illâ Missâ de Carolstadtii nuptiis a Germanis novatoribus conscriptâ. Ejus principium: 'Deus, in tuâ virtute Andreas Carolstadtius gaudet et lætatur in thalamo copulatus.'

6. Sæculo xii. aliud sequentiarum genus paullatim in usum venit: id nempe quod certioribus legibus, astrictioribusque consonantiis nitebatur. Præcipuum id auctorem habuit Adamum de S. Victore, qui circa A. 1190, vitam cum immortalitate commutavit. De eo scite quidem et eleganter

Vir Reverendus, Richardus Chenevix Trench. Nec absurde Johannes Tolosanus,—et ipse Prior Victorinus. 'Valde multas prosas fecit, quæ succincte et clausulatim progredientes, venusto verborum matrimonio subtiliter decoratæ, sententiarum flosculis mirabiliter picturatæ, schemate congruentissimo componuntur, in quibus et cum interserat prophetias et figuras, quæ in sensu quam protendunt videbantur obscuratissimæ, tamen sic eas adaptat ad suum propositum manifeste, ut magis videantur historiam texere quam figuram.' Non tamen nostri est propositi de Adamo ipso, nec de aliis prosarum istarum scriptoribus, veluti Petro Abaelardo, Roberto Rege Franciæ, Thomâ de Celano, (mirificæ illius Prosæ *Dies iræ* auctore) loqui: cum de syllabico sequentiarum genere præcipue tractamus.

8. In tam immanem multitudinem sequentiarum crevit numerus, tamque inscite et immodulate pleræque evaserunt, ut Synodus Coloniensis, (A. D. 1536,) minuendas reformandasque eas duxerit. In Reformatione vero Missalis Romani, judices tam iniquos se erga prosas probaverunt, ut omnes, hisce exceptis, *Veni Sancte Spiritus*, *Victimæ Paschali*, *Lauda Sion Salvatorem*, *Dies Iræ*, deleverint: quod maximâ cum strage rei liturgicæ factum esse, nemo est qui non viderit.

9. De duobus Sequentiarum generibus hæc Clichtovæus. 'Prosa ecclesiastica secundum specialem

rationem modo explicatam sumpta duplex invenitur. Quædam rhythmica, quæ certum numerum syllabarum in unâquâque clausulâ et in fine consimilem exitum duarum postremarum syllabarum cum aliis clausulis servat:' et hæc est ea quæ Adamum de S. Victore facile principem habuit: quâ de causâ Victorinas hasce vocare possumus sequentias. 'Alia vero non rhythmica,' inquit Clichtovæus, (qui *minus ad aurem quamlibet rhythmica* dicere debuit,) 'quæ nec determinato clauditur syllabarum numero,' (hoc plerumque minus verum est, ut monstrabimus,) 'neque consonantiam in exitu certam observat.' Et hæc est Notkeriana.

10. De Notkerianis primum. Mirum enim quam crassa apud homines rei liturgicæ non ignaros de earum rhythmo ignorantia: mirum quantum in ipsis Missalibus vel incuriæ, vel inscitiæ. Nec quod scio, Wolfio uno excepto, ulli in mentem venit regulas investigare, versus ordinare, corrigenda vel facillime corrigere. Ipse Daniellus, quamvis in colligendis sequentiis, explicandisque maximum laborem impenderit, sæpe in re rhythmicâ, nec leviter, titubat. Et ex hoc sequentiarum genere, quia solutioribus videbatur regulis teneri, in usum venit aliud nomen, *Prosa:* quod postea omnibus sequentiis commune erat.

11. Sequentia igitur Notkeriana ex incerto nu-

mero versuum constat: singuli versus ex incerto syllabarum numero. Versus bini et bini, aliquando plures, respondent tum syllabis, tum sæpe accentibus, tum intercisionibus. In plerasque enim intercisiones sive clausulas versus singuli dividuntur: exemplo sint hæc:

Síc te náscitúrum | Fíli Déi | vátes túo dócti
Síc te óriénte | laúdes tíbi | cántant, pácem térris

Spíritu díxerant
Ángeli núntiant.

Versus responsorii, in nostrâ editione, literis minusculis in margine ascriptis associantur, *a a*, *b b*, &c. Sæpe tamen accidit ut versus occurrat, qui responsorio caret, idque de primis sequentiarum versibus sæpius dicendum est.

12. Consonantiæ satis raræ sunt: assonantiæ autem, tum in intercisionibus, tum in fine, communiter habentur: *e. g.*—

Hoc beator*um* | per prata paradisiac*a*
Quin et astror*um* | micantia luminari*a*

jubilent alt*um* | Alleluia
psallant concent*um* | Alleluia

Iterum:—

Sic ergo cæli caterv*a* | altissime jubil*a*
Ut tanto canore trem*at* | alta poli machin*a*.

Iterum:—

Hymnite nunc super*i* | pariter resonate infer*i*
Et omnis in Domin*i* | spiritus gratuletur ænes*i*.

13. Sunt quoque sequentiæ, in quibus versus intercisionesque omnes in unâ literâ, sæpissime A, desinunt: *e. g.*—

Tuâ nos salv*a*, | Christe, clementi*â*, | propter quos passus es dir*a*
Ad poli astr*a* | subleva nitid*a*, | qui sorde tergis sæcul*a*.

Influ*at* | salus ver*a* | effugans pericul*a*
Omni*a* | ut sint mund*a* | tribue pacific*a*

Iterum:—

O culpa nimium beat*a* | quâ redempta est natur*a*!
Deus, qui creavit omni*a* | nascitur ex fœmin*â*.

Mirabilis natur*a* | mirifice indut*a*,
Induitur natur*â* | divinitas human*â*,

assumens quod non er*at* | manens quod er*at*
quis audivit tali*a* | dic, rogo, fact*a*.

Et hæc desinentia forsan ex eo originem duxit, quod sequentiæ, ut jam dictum est, ex prolongatione literæ A ortæ fuerint.

Aliquando, sed rarius, desinunt in E: *e. g.*—

Quem hæc virgo resist*ens* | a se fecit fuger*e*
Dum non consentir*et* | sed illi resister*et*

quo fugato appropinquabat tibi, Domin*e*
strenue qui solet tentatus, si non repugn*et*.

Aliquæ sequentiæ omnes versus responsorios habent, sine accentu regulari, sine intercisionibus. Talis est una, eaque præclara, quæ ita incipit:—

Ave Jesu Christe, qui pro peccatorum salute de Mariâ castâ virgine nasci voluisti.

Ave Jesu Christe, qui pro redemptione tristis mundi flebili morte mori in cruce voluisti.

Ave Jesu Christe, qui ab impiis Judæis reprobari, et a Judâ osculo tradi voluisti.

Syllabæ singulorum versuum triginta sunt, in honorem annorum D. N. cum in opus prædicandi se palam contulit.

Extant quoque, quamvis rarius, sequentiæ, quæ versibus hexametris constant. Talis est illud Miss. Sarisb. (quæ et in Breviario invenitur.)

Alma chorus Domini nunc pangat nomina summi:

talis illud, quod Miss. Salzburgense in Communi SS. Martyrum habet.

O Martyr Christi, laudari qui meruisti,
Ergo tuæ laudi nos instantes pius audi.
Nostra Deo vota fac, O Pater optime, nota:
Omnibus hoc præsta recolentes hæc tua festa,
Ad summas laudes ut contingant, ubi gaudes
Rege sub eterno, cum Sanctis, jure superno. Amen.

14. Non possum silentio prætermittere quantum similitudinis quoad rhythmicam rationem inter sequentias Notkerianas, et Odas quas in Matutinis suis usurpant Græci, inest. Illæ enim incerto intercisionum numero, quamvis longe majore, constant: et ad normam certorum versuum, sive, ut vocantur, εἱρμῶν, numeros accentumque ducunt. Exemplo sit hoc.

[1] ῥείθροις αἱμάτων κατασβέσας, | παναόιδιμε, τὸ πῦρ τῆς ἀσεβείας·
[2] θεῖον εἰς γνόφον ὑπεισδύνας | τὸν ἀθέατον ὡς θέμις ἐθεάσω,

[1] τῶν θαυμάτων ἡμᾶς ἑκάστοτε δροσίζεις
[2] τήν ψυχὴν καὶ τὸν νοῦν φωτίζοντά σου, μάκαρ·

[1] τῷ νιφετῷ, Ζηνόβιε, | τοὺς ἐν πίστει σε ὑμνοῦντας·
[2] εὐσεβοφρόνως μέλποντα | ὁ Θεὸς, εὐλογητὸς εἶ.

15. Jam de accentibus dicendum est. Eas in singulis intercisionibus versuum responsoriorum et ipsos responsorios esse, jamdudum diximus. Sed hoc vix in regulam canonemque adduci potest. Sequentiarum enim scriptores idem de accentibus, quod de homoioteleutis veteres hymnographi, faciebant. Ubi sponte respondebant, bene erat;—ubi sine magno labore responsorii fieri potuerunt, haud male: ubi difficiliores sese præbuerunt, laborem non valebant. Exemplum videamus:—

1	2	3
[1] Nos córde	percépimús	qualis ac quantus
[2] Nam mórte	turpíssimá	damnatur Sponsus

4	5	6
[1] est quia vicinus	dígnitáte	Christo fit et morte
[2] Sponsi et amicum	dámnant mórte	recte turpissimâ

In primâ, secundâ, quintâ intercisione rectissime se habent accentus. In quartâ mediocriter tantum. In tertiâ, cum primus versus ictum ita habeat, –′ – – –′ –, secundus accentum hunc in modum figit: – –′ – –′ –. In sextâ, primus ita se habet: –′ – –′ – –′ –. Secundus: –′ – – –′ – –.

Ut currat ictus rite, damnătur, turpissīmâ, pronuntianda essent. Aliud apponamus exemplum.

	1	2	3	4
a	Dæmóniís	éam séptem	múndas séptifórmis	Spiritus
a	Ex mórtuís	té surgéntem	dás cunctís vidére	priorem

	1	2
b	Hác, Christé,[1] prosélytám	sígnas ecclésiam
b	Quám intér convívia	légis et grátiæ
	3	4
	quám ad fíliórum ménsam	vócas álienígenam
	spérnit Phárisæ'i fástus	lépra véxat hærética.

Vides hic optime procedere omnia, exceptâ quartâ intercisione prioris binarii: ubi prior versus quasi-creticum, alter quasi-amphibrachyn habet.

16. Nec hanc accentuum disparitatem incuriam vocare possumus, multo minus ignorantiam: at sive libertatem velis, sive licentiam. Qui enim metri vinculis alligari nolebant, ii et molliori accentuum jugo aliquando intractabiles se præbuerunt. Et idem est, quanquam rarius, observare, in sequentiis et hymnis rhythmicis: *e. g.*—

Altissímâ providente
Cuncta recte disponente
  Dei sapientiâ, &c.

Urbs beata Jerusálem
  Dicta pacis visio, &c.

Nunc dimisso adultéro
Maritatur sponso vero, &c.

---

[1] Notissimum est, accentum vocativi sæpe apud veteres hymnographos ita se habere.

Nec ideo statuere fas est has syllabas ita enunciatas fuisse. Id expresse vetat notatio musica. In Hymno Paschali, cujus hoc est principium,

> Aurora lucis rutilat,
> Cælum laudibus intonat,

hymnale Sarisburiense ita dat accentum :



ubi brevis legitur, quam productam vult accentus, penultima τοῦ *laudibus.* Inconditum sane invenustumque nobis id videtur. Sed et nos licentiam ejusmodi usurpamus, haud minus Romanis vel Græcis auribus barbaram : eam, dico, quâ iambicorum versuum in primâ vel tertiâ syllabâ, pro iambo vel spondæo trochæus locum habere potest.

17. In intercisionibus, genus versuum ex quo constant, haud mediocriter ingenium eæ gentis sapit apud quam originem habuit sequentia: *e. g.*, nemini non notum est, Germanis Trochaicum trimetrum in deliciis esse, quod nescio an inter alias gentes obtinuerit:

> Friedrich liegt in engen Sarkophage,
> Alexander ist ein wenig Staub,

rhythmum qui et in Germanicis sequentiis abundat. Eodem modo, jam inde a Chauceri tempore,

versus Iambicus trimetrus brachycatalecticus poetis nostris in deliciis semper fuit: idem quoque in sequentiis Anglicis sæpissime invenitur.

18. De Victorinis sequentiis pauca sane dicenda sunt. Eæ non solum Latine, sed etiam sermone vernaculo sæpe cantabantur. Id fiebat in quibusdam parochiis diœcesis Remensis, usque ad medium sæculi decimi septimi. Exempla aliquot apponemus. In ecclesiâ Algherensi, quæ in Sardiniâ est, sequentia quâ et adhuc utuntur in Nativitate Domini ita incipit.

Un Rey vindra perpetual
Vestit de nostra carn mortal:
Del cel vindra tol certament
Per fer del segle jugement.

In eâdem Cathedrali, prosa vere belligera, anno 1412 composita, cujus usus jam antiquatus est, ita incipiebat:

Muiran, muiran, los Francesos,
Ils trahidors de Sassaresos,
Qui han fit la trahiciò
Al molt alt Rey de Aragò.

Diu apud Bohemos in usu fuit S. Adalberti canticum: hymnus tamen potius quam sequentia.

Hospodine pomilugny:
Jezu Kryste pomilugny,
Tys spase wssie o mira, &c.

Exemplo sequentiæ Germanicæ sit hæc, in festo S. Dorotheæ decantata;

Es war ein Gottfürchtiges
  Und Christlichs Jungfrewlein:
Gotts Wort und Catechismus
  Hat sie gelernet fein:
Ir namen Dorothea
  Ist weit und breit bekannt,
Nach irem Vater und Mutter
  Wurd sie also genannt, &c.

Sequentia in Angliâ composita,

Flur de virginite,
Chambre d'onestite,
De merci mere e de pite;
Dieu vus sant, virgine pure,
Ki nature
D'engendrure
E porteure
Surmontez Par vos bontez Dont tanz avez
Ke bien poez Aider assez As mesaissiez, &c.

In Galliâ, pro dedicatione ecclesiæ, auctore Marbodo Ep. Redonensi:

Ki Deu voudra servir
Cum des pieres contes clairzur,
En la Cite Deu sera pose
E el fundamente bien alloe,
En vision de paz reposera
En laquel sen fin joir pourra.

In Lusitaniâ, sequentia a Philippâ Lancastriensi scripta, hæc habet:

Si mi mesmo não desamo,
  Não vos posso bem amar:
A me ajudar vos chamo
  Sem quem não he repousar.

Sequentiarum autem vernacularum usus a Conciliis etiam sequioris ævi, sub certis limitibus, approbatus est. Concilium Avenionense, 1584: ‘Quod si carmina quædam vernaculâ linguâ in Natali Domini permittenda sint in Ecclesiâ concini, ea primum ab episcopo legantur et examinentur; nec nisi approbata et cum subscriptione canantur.’ Constitutiones Diœcesis Wratislaviensis in Silesiâ (1592): ‘Epistolâ jam lectâ, præcentor cum totâ communitate aliquem sacrum hymnum in vernaculâ linguâ ipsis familiarem decantet.’ Synodi Augustana (1610) et Monasteriensis (1655) idem permittunt. Procliviores enim ad hæc sese monstraverunt semper Germani, quam Gallorum Episcopi.

At expresse vetat Concilium Basileense cantiones hybridas, ex linguis vernaculari et Latinâ compositas. Exemplum ejus rei damus:

Exstat in permultis Missalibus sequentia de B. M. V., cujus hoc est principium:—

Verbum bonum et süave
Personemus illud Ave
Per quod Christi fit conclave
  Virgo, mater, filia:
Per quod Ave salutata
Mox concepit fœcundata
Virgo David stirpe nata,
  Inter spinas lilia.

Eam Miss. Argentoratense sæculi xv ita exhibet:

Ein verbum bonum und süave
Sand dir Got, der heisset Ave,

Zehande wert du Gotz conclave,
  Mutter, mag, et filia:
Da mitte wurdest salutata,
Vom heilgen geiste fœcundata,
Von herr Davitz stammen nata
  On dorne sind den lilia.

19. Quod persæpe in Hymnis, idem quoque in Sequentiis observandum est. Scriptor novæ prosæ principium ex antiquiore, et gratiæ conciliandæ, et melodiæ causâ, haud raro petivit. Nemini non nota est Sequentia illa Bernardiana.

Lætabundus exultet fidelis chorus: Alleluia.
Regem regum intactæ profudit thorus: Res miranda.

Quam multas habuerit imitatores, hæc sint exemplo.

Missale Leodiense, in Festo SS. Simonis et Judæ,

Hâc in die lætetur chorus fidelis: Alleluia.
Quâ cum Judâ sit Simon advectus cælis: Res miranda.

Missale Pictaviense, in Festo S. Johannis Evangelistæ:

Lætabundus gratuletur chori cœtus: Alleluia.
Johannes est quem non tangit mortis metus: Res miranda.

Missale Salzburgense, de vij. doloribus B. M. V.:

Gemebundus Mariæ decantet clerus: Voce piâ:
Quam confixit novus dolor, amor verus: Res miranda.

Missale Maguntinum:

Lætabundus decantet fidelis melos: Alleluia.
Katherina triumphans ascendit cælos: Res miranda.

Missale Naumbergense:

Lætabundus Francisco decantet clerus: Alleluia.
Quem confixit nobis clavis amor verus: Res miranda.

Nec mirum est has parodias in pejus detorsas fuisse. Inde *e. g.* illa cantilena, quæ, ut cum medii ævi scriptoribus loquar, *super* 'Verbum bonum et süave' facta est:

Vinum bonum et süave,
Bonis bonum, pravis prave,
Cunctis sapor dulcis, ave,
  Mundana lætitia:
Ave, felix creatura
Quam produxit vitis pura,
Omnis mensa fit secura
  In tuâ præsentiâ.

illa quoque, super carmen Bernardianum:

Bevez quant avez en poin,
Ben est droit, car nuit est long,
  Sol de stellâ:
Bevez bien e bevez bel,
Il vos vendra de tonel
  Semper clara.

20. Melodiarum quibus sequentiæ cani consueverunt, specimina tria ad finem libri apposuimus. Primam, cujus verba Adamo debentur, ex MS. Ee. v. 13. Bibliothecæ Acad. Cantabrig. exscripsimus. Ea inter rariores est, quippe quæ eundem cantum sine variatione omnibus adjungat versibus. Secundam ex MS. San Blasiano sæculi xiv^{mi} edidit Gerbertus. Tertiam, quæ et *Alleluiatica* vocabatur,

quia in Sabbato Septuagesimæ, cum deponebatur Alleluia, cantata est, ex Hymnario Basileensi edidit Wolfius.

21. In Sequentiis Notkerianis concursum vocalium plerumque vitabant poetæ. Rarissime elisionibus usi sunt; quas, ubi occurrunt in nostro libro, literis Italicis signari curavimus: hunc scilicet in modum:

Pac*em* in terrâ homines teneant cum benevolentiâ.

22. Reliquum est ut cum Daniello dicam: 'Faxit Dominus Ecclesiæ Catholicæ, cujus honorem omnes hymni celebrant, quem cantica prædicant, et antiphonæ cum laudibus certatim tollunt, ut hic etiam studiorum nostrorum fructus ad adjumentum Ecclesiæ,' nostræ præsertim, 'valeat.'

I.

SEQUENTIÆ

DE TEMPORE.

SEQUENTIÆ DE TEMPORE.

I.

IN DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

E MISSALI SARISBURIENSI.[1]

SALUS eterna, indeficiens mundi vita, *a*
Lux sempiterna, et redemptio vere nostra, *a*
b Condolens humana perire sæcla, per tentantis numina,[2]

---

[1] Hæc sequentia inter eas est, quarum multas hic dabimus, quæ constanter in A, et quoad intercisiones, et quoad versus desinant. Eis abundat Missale Sarisburiense. Extat et in Redonensi, et plerisque Gallicanis. E Clichtovœo desumpsit Daniellus. At cum manifeste eundem auctorem habeat quem et tres sequentes, malui de regulâ nostrâ abire. 'In Germaniâ nusquam,' inquit Dan., 'quod sciam, infra Adventum locus dabatur sequentiæ.' Contra Miss. Sarisbur.:—'Nullâ die Dominicâ per annum dicitur sequentia ad missam quando de Dominicâ agitur, nisi *per Adventum*, et in Tempore Paschali, et in vj. die a Nativitate Domini.' Sæculi xiv. hæc sequentia videtur.

[2] Clichtov. 'In scripturâ Diabolus Deus hujus sæculi dicitur, ita et numinis nuncupatio ei translatitie convenit.' Ascensius: 'Accipitur hic *numina* pro *motibus* sive suggestionibus: ut tentantis numina sint instigationes diaboli tentatoris.' Quod equidem verius puto.

b Non linquens excelsa, adisti ima propriâ clementiâ.
c Mox tuâ spontaneâ gratiâ assumens humana
c Quæ fuerunt[3] perdita, omnia salvasti terrea,
d Ferens mundo gaudia.
e Tu animas et corpora
d Nostra, Christe, expia;
e Ut possideas lucida
d Nosmet habitacula.
f Adventu primo justifica:[4]
f In secundoque[5] nos libera:
g Ut cum, factâ luce magnâ,
d Judicabis omnia;
g Compti stolâ incorruptâ
Nosmet tua subsequamur mox vestigia quocunque visa. Amen.

---

[3] Dedi *fuerunt* pro *fuerant*, ut melius metro consuleretur. Clichtov. *Quæ perdita fuerant.*

[4] Clichtov. omittit *que.* Redonensi: *In secundo nosque:* quod et Andegav.

[5] Andegav. MS. *vivifica.*

II.

IN DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

E MISSALI SARISBURIENSI.[1]

REGNANTEM sempiterna per sæcla susceptura,
concio devota concrepa,
a Divino sono factori reddendo debita.
b Cui[2] jubilant agmina cœlica ejus vultu exhilarata,
b Quem expectant omnia terrea ejus nutu examinanda:
c Districtum ad judicia,
c Clementem in potentiâ.
d Tuâ nos salva, Christe, clementiâ, propter quos passus es dira:
d Ad poli astra subleva nitida, qui sorde tergis sæcula.
a Influat salus vera effugans pericula:
a Omnia ut sint munda[3] tribue pacifica:
e Ut hic tuâ salvi misericordiâ
e Læti regna post adeamus supera:
Quo regnas sæcula per infinita. Amen.

---

[1] Habetur et in Redonensi et Andegavensi.
[2] Andegav. *quem.*
[3] Andegav. *mundo:* quo rationi melius, metro haud ita, consulitur.

III.

IN DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

E MISSALI PICTAVIENSI.

PROPE est claritudinis magnæ[1] dies
a Quo Rex Eternus humanitatis[2] hæc infirma
a Volens ad poli transire regni palatia,
b Nuncia misit mirifica
b Ad aures verba virgineas;
c Ut procrearetur inde proles propria,
c Intemeritate vigente corporeâ.
Cujus confestim benigna Virgo, fulgore præclara, Spiritu fuit plena.
O quanta pietas Dei! summa gratia ostensa fuit ista,
e Per quam redempta humanitas, totâ morte fugatâ, prima fugit detrimenta,
e Quæ peccaverat Adam, novum plasma, male servata dum præteriit mandata.
c Quam sæva monita dedit Virago prima!
Sed fugaverunt ea nova medicamina per quæ redempta sunt sæcula. Amen.

---

[1] Forsitan, *dies magna*, ut in A desinat versus.
[2] Addidi *hæc*, et metro et sensu postulantibus.

IV.

IN DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

E MISSALI SARISBURIENSI.[1]

QUI regis sceptra forti dextrâ, solus cuncta,
Tu plebi tuæ ostende magnam excitando potentiam.
Præsta illi dona salutaria,
Quem[2] prædixerunt prophetica vaticinia.
A clarâ poli regiâ
In nostra, Jesu,[3] veni, Domine, arva.

---

[1] Sequentia, quæ, nisi quod in A desinant versus, nullis pæne legibus astringitur. In primo versu alludit poeta tum ad Psalmum lxxx., 'Qui regis Israel, intende;' tum ad Collectam de Dominicâ quartâ Adventus; 'Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni.'

[2] Forsitan, *quæ*. Andegav. *qui*.

[3] Andegav. MS. *mitte Jesum Dominum*.

V.

IN DOMINICA[1] QUARTA ADVENTUS.

E MISSALI SARISBURIENSI.

JUBILEMUS omnes una
Deo nostro qui creavit omnia.
Per quem cuncta condita sunt sæcula,
Cœlum quod plurimâ luce coruscat, et diversa sidera;
Sol, mundi schema, noctium decus luna, cœteraque splendentia:
Mare, solum, alta, plana, ac profunda flumina:
Aeris ampla spatia, quæ[5] discurrunt aves, venti atque pluvia:
Hæc simul cuncta tibi Deo soli[2] Patri militant
Nunc et in ævum sine fine per sæcula: laus eorum tua gloria;
Qui pro salute nostrâ Prolem unicam
Pati in terram[3] misisti sine culpâ; sed ob nostra delicta.
Te Trinitas precamur[4] ut corpora nostra et corda
Regas, et protegas: et dones peccatorum veniam.

---

[1] Hæc quoque sequentia quam laxissimis regitur vinculis; nec tanti est ut eas, quas certe poeta minime curavit, regulas investigare curemus.

[2] Omittit *soli* Andegav.

[3] Andegav. *Terrâ.*

[4] Andegav. *petimus.*

[5] Ita Andeg. MS. alii *quo.*

VI.

DE NATIVITATE DOMINI.

IN MISSA IN GALLICANTU

E MISSALI ANDEGAVENSI.

SONENT Regi nato nova cantica,
a Cujus Pater fecit omnia;[1] Mater est sine viro gravida:
a Generans nescivit feminam; Mater est Virgo sacratissima.
b Verbum corde prius generatum[2] ante secula
b Alvo matris prodit corporatum inter[3] secula.
c O mira genitura! O stupenda Nativitas!
c O Proles gloriosa! Humanata Divinitas!
d Sic te nasciturum, Fili Dei, vates tuo docti Spiritu dixerant:[4]
d Sic, te oriente, laudes tibi cantant, pacem terris Angeli nunciant;

---

[1] E verbis beatissimæ et jam morituræ Agnetis versum mutuatur poeta. 'Cujus Mater virgo est: cujus Pater fœminam nescit.'

[2] Ita dedi, sensu postulante, pro *generator*. [Et sic Andeg. MS.]

[3] Liber, *in*, sine sensu idoneo.

[4] Ex correctione dedi pro *dixerunt*, quod liber.

[5] Andeg. impress. *ministrant*.

e Elementa vultus exhilarant:
e Omnes sancti laudantes jubilant,
f Salve, clamantes, nosque salva,
f Deitas in Personis Trina,[5]
Simplex Usiâ.

VII.

IN NATIVITATE DOMINI.

IN MISSA IN AURORA

EX MISSALI NOVIOMENSI.[1]

LÆTARE, puerpera,
Læto puerperio;
Cujus pura viscera
Fæcundantur Filio:
Lacte fluunt ubera
Cum[2] pudoris lilio:
Membra fovens tenera
Virgo lacte proprio.

---

[5] Spretis Hincmari scrupulis, quos spreverat Ecclesia, Deitatem Trinam invocat poeta.

[1] Ex Parnasso Mariano.

[2] Ineleganter poeta; qui dicere voluit, quamvis servatum fuerit pudoris lilium.

Patris Unigenitus,
  Per quem fecit omnia,
Hic degit humanitus
  Sub matre pauperculâ:
Ibi sanctos angelos[3]
  Reficit lætitiâ:
Hic sitit et esurit
  Degens in infantiâ.

Ibi regit omnia;
  Hic a matre regitur:
Ibi dat imperia;
  Hic ancillæ subditur:
Ibi summi culminis
  Residet in solio;
Hic ligatus fasciis
  Vagit in præsepio.

O homo, considera,
  Revocans memoriæ
Quanta sunt hæc opera
  Divinæ clementiæ:
Non desperes veniam
  Si multum deliqueris:
Ubi tot insignia
  Caritatis videris.

---

[3] Prope ad verbum S. Leonis ad S. Flavianum Epistolam expressit scriptor.

Sub Matris refugio
  Fuge, causâ veniæ:
Nam tenet in gremio
  Fontem indulgentiæ:
Hanc salutes sæpius
  Cum spei fiduciâ:
Dicens flexis genibus,
  Ave plena gratiâ!

Quondam flentis lacrymas
  Sedarat uberibus:
Nunc iratum[4] mitigat
  Pro nostris excessibus:
Jesu, lapsos respice
  Piæ Matris precibus:
Emendatos effice
  Dignos cœli civibus. Amen.

---

[4] Liber, *natum*.

VIII.

IN NATIVITATE DOMINI.

E MISSALI NOVIOMENSI.[1]

LUX est orta gentilibus,
In umbrâ sedentibus,
Et mortis caligine;
Gaudet miser populus,
Quia mundo parvulus
Nascitur ex Virgine.

Ut ascendat homo reus,
Condescendit Homo Deus
Hominis miseriæ:
Quis non laudet et lætetur?
Quis non gaudens admiretur
Opus novæ gratiæ?

Quidnam jucundius,
Quidnam secretius,
Tali mysterio?
O quam mirabilis,
O quam laudabilis,
Dei dignatio!

---

[1] Ex Parnasso Mariano.

Cujus nodum sacramenti
Non subtilis argumenti
    Solvit inquisitio :
Modum nosse non est meum:
Scio tamen posse Deum[2]
    Quod non capit ratio.

Quam subtile Dei consilium !
Quam sublime rei mysterium !
    Virga florem, vellus rorem,
        Virgo profert Filium.
Nec pudorem læsit conceptio,
Nec nitorem floris emissio:
    Concipiens et pariens
        Comparatur lilio.

O Maria, stella maris,
Post Deum spes singularis
    Naufragantis sæculi,
Vide quam nos fraudulenter,
Quam nos vexant violenter
    Tot et tales æmuli.

---

[2] Epigramma Hildebertinum in mente habuit poeta:

Virgo Deum genuit: forsan quis quomodo quærit?
Non est nosse meum; sed scio posse Deum.

Per te nobis vita detur:
Per te, Mater, exturbetur
Dæmonis superbia:
Tuæ Proli nos commenda,
Ne nos brevi sed tremendâ
Feriat sententiâ. Amen.

IX.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

(IN TERTIA MISSA.)

E MISSALI LEODIENSI.

ECCE[1] jam votiva festa redierunt annua, *a*
Addat et se nostra vox ad angelorum[2] carmina. *a*
b Christus hâc ut sponsus, maternâ, die, processit clausulâ,

---

[1] Virgilii Pollionem in hac sequentiâ poetam præ oculis habuisse, non est quod moneam. Nec insolenter: cum Sibyllina oracula tam certa, quam quod certissimum, medii ævi crediderint scriptores. Innumera extant exempla: Thomas a Celano: 'Teste David cum Sibyllâ:' S. Bernardus: 'Si non suis vatibus Credat vel gentilibus Sibyllinis versibus Hæc prædicta.'

[2] Ita dedi, ut metro consuleretur; liber enim *Addat se vox nostra.*

b Exultans[3] ut gigas ad hujus vitæ currendas semitas.
c Angelica gloriam reboant in excelsis agmina,
c Pacem in terrâ homines teneant cum benevolentiâ.
d Jam se replicat sæculi series maxima: venit etiam vatis Cumææ veridica jam ætas carminis ultima:
d Virgo remeat, sæcula revehens aurea; adsunt tempora quo gens ferrea jam desinat: et mundo pullulet aurea.
e Adauctas solis jubar die plusculâ menses producere inchoat;[4]
e Nocturnas stella fugat, magos excitat, Balamitica,[5] tenebras.
f Impleta quæ prædixerat plebs utraque, et Gentilitas, et Hebræa,[6] oracula, Christo nascente, sunt omnia:

---

[3] Et ad Psalm. xix. et ad versum Ambrosianum
'Geminæ gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam,'
respexit poeta.

[4] Ita Prudentius.—'Quid est quod arctum circulum Sol jam recurrens deserit? Christusne terris nascitur, Qui lucis auget tramitem?'—S. Notkerus. 'Hoc præsens diecula loquitur prælucida, adauctâ largitudine, quod Sol verus radio sui luminis vetustas mundi depellit genitus tenebras.'

[5] Alluditur ad Balaami vaticinium: 'Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel; et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.'

[6] Liber, *Hebrææ*.

f Sunt cuncta jam nunc scelerum recidiva, et recentia et antiqua vestigia: quæque remanserant irrita.

g O mira[7] atque nova genitura! fit Virgo gravida, fideliter credula,

h Et porta quæ fuerat semper clausa,[8] reserata,

h Naturam dum hominis induit Deitas.

g Conserva hæc quæsumus Christe nobis munera tanta, a te prærogata. Amen.

X.

IN NATIVITATE DOMINI.

(IN MISSA MAJORI,)

E MISSALI NARBONENSI.

CÆLESTE organum hodie sonuit in terrâ:[1] *a*
Ad partum Virginis superum cecinit caterva. *a*

b Quid facis, humana turba? cur non gaudes cum superâ?

---

[7] Ut versus xiij^{us} versui xvj^{o} responderet, versus autem xiv^{us} versui xv voluisse videtur poeta. At vel id efficere nequiit, vel falsus est liber.

[8] Alluditur ad notissima illa Ezechielis de B. V. vaticinia: 'Porta hæc clausa erit; non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa.'

[1] Liber *terris*. Mutavi, ut in *a* desineret versus. [Ita quoque Sarisb.]

b Vigilat pastorum cura: vox auditur angelica.
b Cantant[2] inclyta carmina plena pace et gloriâ.
b Christo[3] referunt propria: nobis canunt ex gratiâ.
c Nec cunctorum sunt hæc dona: sed mens quorum erit bona.
c Non sunt absolute data: differenter sed prolata.
d Affectus deserant[4] vitia: et sic nobis pax est illa quia bonis est promissa.
d Junguntur superis terrea: ob hoc quidem laus est juncta: sed decenter est divisa.
e Gaude, homo, cum perpendis talia:
e Gaude, caro: facta Verbi socia.[5]
f Nunciant ejus ortus æthera[6] lucis per indicia;
f Subeunt[7] duces gregum lumina Bethlem usque prævia:
g Invenitur Rex cœlorum inter animalia:
g Arcto jacet in præsepe Rex qui cingit[8] omnia.
h Stella maris, quem tu paris, colit hunc Ecclesia:
h Ipsi nostra per te pia placeant servitia.
Jam[9] dicatur Alleluia. Amen.

---

[2] Narbon. *Cantat.*
[3] Narbon. *Ad Christum*, repugnante metro.
[4] Narbon. *deserat.*
[5] Addit Sarisb.: *Iste v. ter dicatur.*
[6] Sarisb. *sidera.* [7] Sarisb. *Ineunt.*
[8] Narbon. *regit.*
[9] Sarisb. *Resonent cuncta redempta.*

XI.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

E MISSALI SARISBURIENSI.[1]

CELSA pueri concrepent melodia *a*
Eia Innocentum canentes tripudia. *a*
b Quos infans Christus hodie vexit ad astra,
n Hos trucidavit frendens insania,
b Herodianæ fraudis, ob nulla crimina,
c In Bethleem, et per ipsius cuncta confinia,
c A bimestri et infra, juxta nascendi tempora.
d Herodes Rex Christi nati verens infelix imperia,
d Infremit totus, et erigit arma superbâ dexterâ:
e Quærit lucis et cœli Regem cum mente turbidâ,
e Ut extinguat qui vitam præstat per sua jacula,
f Dum non valent intueri lucem splendidam nebulosa quærentis pectora.
f Ira fervet: fraudes auget Herodes sævus, ut perdat puerorum[2] agmina.
g Castra militum dux iniquus aggregat: ferrum figit in membra tenera.

---

[1] Inter communiores est sequentia, præsertim in Missalibus Gallicanis.

[2] Libri, repugnante metro, vel *piorum*, vel *puerum*.

g Inter ubera lac effundit, antequam sanguinis fierent coagula.

h Hostis naturæ natos eviscerat atque jugulat:

h Ante prosternit quam ætas parvula sumat robora.

i Quam beata sunt Innocentium ab Herode cæsa corpuscula!

i Quam felices existunt matres quæ fuderunt talia pignora!

k O dulces[3] Innocentium acies! O pia lactantum pro Christo certamina!

k Parvulorum trucidantur millia: membris ex teneris manant lactis flumina.

l Cives angelici veniunt obviam:

m Mira victoria: vitæ captant præmia turba candidissima.

l Te Christe, petimus mente votissimâ,[4]

m Nostra qui venisti reformare sæcula, Innocentum gloriâ

n Perfrui nos concedas per eterna. Amen.

---

[3] Andegav. *Dulcis.*

[4] Libri *devotissimâ.* Sed cum syllaba redundet, usitatumque medii ævi scriptoribus sit *votus* pro *devotus*, correxi.

XII.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

E MISSALI NARBONENSI.

IN sapientiâ disponens omnia eterna Deitas,
Nobis condoluit, quos diu tenuit dira calamitas.
Mittitur nuncius, secreti conscius, e cœli solio,
Qui mundo perferat quod jam promiserat Pater de Filio.
Salutat Virginem; Deum et Hominem, dicens, concipies:
Salutem gentium, rerum Principium, utero paries:
Nec diu distulit sed, Fiat, intulit: et plena gratiæ
Protulit Filium, lumen fidelium, Solem justitiæ.

Lux refulsit pastoribus,
Non populis sublimibus.

Vili jacet præsepio,
Quem nulla claudit regio.

Stella fulgens apparuit,
Dum Virga Jesse floruit.

Offerunt Reges munera;
Thus, myrrham, auri pondera.

Circumcidi passus est,
Qui pro nobis natus est.

Ad Jordanis flumina
Nostra lavit crimina.

Offert Virgo Filium,
Vitæ sacrificium.

Symeonis brachia
Sua gestant gaudia.

Prima virtus Salvatoris
  Aquâ vinum edidit:
Cœcis visum, claudis gressum,
  Mutis loqui reddidit.

Natus est Dei Filius,
Cœlorum Rex, non alius.

Regni cælestis curia
Laudes dicat in gloriâ. Amen.

XIII.

DE B. MARIA VIRGINE.

INFRA NATIVITATEM ET PURIFICATIONEM, E MISSALI SALZBERGENSI.

VIRGINIS in gremio,
Nato Dei Filio,
Personalis Unio
Facta est, non conversio:
Jubilat in gaudio
Orbis tota concio,
Tanto beneficio.

Jam nunc vellus maduit:
Aaron virga floruit:
Terra fructum protulit:
Prophetia siluit:
Patrum vox conticuit:
Nam promissus claruit,
Quem Maria genuit.

Ab eterno gignitur:
Solis splendor oritur:
Sinu Matris conditur,
Qui mundo non clauditur:
Pietate trahitur:

Utero concluditur:
Unicornis capitur.[1]

Parva fit immensitas:
Alta fit humilitas:
Mortalis, eternitas:
Visibilis, Divinitas:
Incola, proprietas:[2]
Odium fit charitas:
Informis formositas.

Sic in horto Virginis,
Salus Dei et hominis
Cura fit peccaminis,
Virtute Spiraminis.

---

[1] Hugo de S. Victore, Inst. Mon. ij. 6. Hoc duntaxat commento et dolo capiunt unicornem. Puellam Virginemque speciosam ducunt in locum ubi moratur, et dimittunt eam solam. Cum autem ipsa viderit illud, aperit sinum suum: quo viso, omni ferocitate depositâ, caput suum in gremium ejus deponit, et sic dormiens deprehenditur ab insidiatoribus. Sic et D. J. C., spiritualis Unicornis, descendens in uterum Virginis, per carnem ex eâ sumptam captus a Judæis, morte crucis damnatus est.

[2] Difficilis sane sententia; quam tamen ita intelligo. Abstractum pro concreto posuit poeta, ut *proprietas* idem significet ac *proprietor*. Dominus enim noster, qui secundum humanitatem incola inter incolas terræ fuit, per merita obedientiæ usque ad mortem, *proprietor*, κληρονόμος, factus est omnium: quod et D. Paulus testatur: (Philip. ij. 7.)

Lactat Mater Puerum:
Volvit in panniculum:
Ponit in præsepium
Regis cœli solium.

XIV.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI[1]

IN SEPTUAGESIMA ET QUADRAGESIMA.

E MISSALI PRAGENSI.

AVE, Caro Christi Regis veneranda,
Esca gregis novæ legis admiranda.
Tu fidelibus, horis omnibus, es adoranda:
Casto corde, sine sorde, digne manducanda.
Te colit rite Panem Vitæ Ecclesia;
Dux viatorum, et reorum es venia.
Tu, cibus salutis, nos in te satia;
Tu lapsorum sublevamen orna præsidia.
Tu mœstorum es levamen, cordis lætitia.
Nos de mundi miseriâ duc ad eterna gaudia,
Ut firmemur præsentiâ tuâ, et süavi gloriâ. Amen.

---

[1] Id est, in Missâ Votivâ de SS. Corpore Christi, quæ in Quintis Feriis celebrari potest. Medium locum inter Notkerianas et Victorinas sequentias tenet carminis ratio.

XV.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI

INFRA SEPTUAGESIMAM ET QUADRAGESIMAM.

E MISSALI PRAGENSI.

DE supernâ Hierarchiâ,
Vera descendit Sophia
In uterum Virginis:
Optatus Dux in hâc Viâ,
Venit natus de Mariâ,
Esse[1] portans hominis.

Magnæ Matris magnus Natus,
Modo miro mundo natus,
Mundi tollit crimina:
Aufert morbos, dat salutem,
Ante suos fert virtutem,
Hostis fugans agmina.

Zelator mirabilis,
Effectus passibilis,
In Cruce damnatur:
Legislator veteris
Legis plagis asperis
Pro nobis plagatur.

---

[1] *Esse* pro essentiam vel naturam utitur poeta.

Agnus in Cruce levatus,[2]
Et pro nobis immolatus,
  Fit salutis hostia:
Vitæ nostræ reparator,
Et virtutum restaurator,
  Cœli pandit ostia.

Sacramenta dictat prius
Cœnâ magnâ, bene scius
  Quæ jam erant obvia:
Præbens panem benedicit;
Hoc est Corpus meum, dicit;
  Sit mei memoria.

Data benedictio
Fit a Dei Filio
  Vini propinati;
Et cum benedicitur,
Tunc Sanguis efficitur
  Verbi Incarnati.

Deo nota sunt hæc soli:
Credi debent atque coli,
  Amoto scrutinio:

---

[2] Venantianum illud huc transtulit poeta:

Agnus in Cruce levatur
  Immolandus stipite.

Justus tantum expers doli
Sumat illa :—sed tu noli
 Involute vitio.

Cave, Juda, ne damneris :
Petre, sume ut salveris:
 Cibus est fidelium :
Ad cujus mensam armatur
Justus, reus et nudatur,
 Præda factus hostium.

Tua, Christe, sunt hæc mira;
Serva sumentes ab irâ
 Judicii:
Orna nos veste gratiæ,
Defende nos a facie
 Supplicii.
Reparator salvifice,
Dignos cibo nos effice,
Medicine[3] cœlice.

---

[3] Vel legi debet *medicinâ cœlicâ*, vel *medicine* pro *medice* vitiose ponitur.

XVI.

DE PASSIONE ORATIO.[1]

EX HORIS DELPHENSIBUS.

CULTER qui circumcidisti
Sacrosanctam carnem Christi,
Reseca nocentia :
Jesum Joseph, ut est scriptum,
Tollens fugit in Egyptum,
Ab Herodis præsentiâ.[2]
Bis occultavit se Jesus,
Cum a turbis non est læsus,
Lapidum sævitiâ:
Jesus lavit osculando
Pedes, sui sacra dando
Corporis mysteria.
Quando Patrem exoravit,
Jesus sanguinem sudavit
Mortis præ angustiâ.
Jesus tristis est et mœstus :
Judas turbis est infestus,
Vili pro pecuniâ ;

---

[1] Titulo præfiguntur hæc verba: ‘Hæc est oratio pii Benedicti Papæ xij.: qui dedit omnibus in honorem .... eam dicentibus xv. millia dierum indulgentiam, et xv. quarentenas.’—Sedit Benedictus xij. ab anno 1334 ad annum 1342.

[2] Additur in MS. nullo fere sensu, ‘Herodis in partibus.’

Judas assumens cohortem,
Jesum tradidit in mortem
  Fraudis quærens pretia.
Judas turbis dedit signum
Osculi, et sic Benignum
  Fraudavit perfidia.
Gladios, fustes, attulerunt
Turba Jesum cum[3] ceperunt,
  Horâ noctis mediâ.
Jesus aurem Malchi curat:
Plebs ligans Jesum perdurat
  Suâ in malitiâ.
O tu sacra ligatura,
Membra ligans, solutura
  Cunctorum supplicia.
Palmâ cæsa dulcis illâ,
Jesu Christi, O[4] maxilla
  Doce nos humilia.
Jesu Christe, nos consigna
Tuo vultu[5] quem maligna
  Aspuerunt labia.

---

[3] Addidi *cum*, et metro et sensu id postulantibus.

[4] Quod habet liber, in maxillâ sensu caret.

[5] Alludit poeta ad Psalm iv. 7: 'Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.'

O velamen Christi visus,
Sub quo palmis est irrisus,
  Nostra tege vilia.
Colaphis et alapis cæsus
Est pro nobis Christus Jesus,
  Patri placens hostia.
Rex illusum albâ veste
Jesum misit inhoneste
  Mortis præ sententiâ.
O columna, quæ ligatum
Jesum tenes plagis datum,
  Religa et[6] vitia:
Virga cædens seu flagellum,
Corpus lædens sic tenellum,
  Seda nos lædentia.
Purpura, quæ Christum tegis,
Ornes nos, ut suæ legis
  Sequamur vestigia:
Percussisti quæ arundo
Caput Christi, de immundo
  Munda nos, delens vitia.
O sacra Christi Corona,
Confer nobis Vitæ dona,
  Confer cœli præmia.

---

[6] MS. *evitia*.

Jesus tulit Crucis onus:
Sic in morte quisque bonus
  Sufferat atrocia.
Mater, pannis quæ cinxisti
Ante crucem lumbos Christi,
  Cinge nos ad fortia.
Jesus tractus est per funes,
Ut nos Angelis communes
  Faceret in Patriâ.
O Crux sancta et beata,
Membris Christi coronata,
  Cuncta fuga vitia:
O vos Christi terni clavi,
Glutinate nexu suavi
  Mentis nostræ devia.
Artus per vos perforati
Præstent posse, velle, pati,
  Hic nos quoque tristia;
Sic malleus clavos urgens
Sanet omne vulnus tergens
  Per fœda flagitia.
Crux et Jesus elevantur,
Caritatis declarantur
  Grata beneficia:
Livor crescit: sanguis fluxit:
Tenebrescit Sol qui luxit
  Christo dans obsequia.

Plebs insultat cum latrone,
Si es Christus in agone,
  Ostende magnalia:
Miserere, dixit unus:
Illi Paradisi munus
  Dat misericordiâ.
Virgo plorat præ dolore,
Christus orat pro tortore
  Matri dans solatia.
Jesus, 'Sitio,' dicebat:
Pro veste sortem mittebat
  Tortoris malitia.
Tolle verbi mali letum:
Os tuum præbet acetum,
  Fel, arundo, spongia.
Jesus ter est lacrymatus,
Et est veste ter nudatus,
  Nostrâ præ miseriâ.
Jesus clamans Heli, Heli,
Se commendans Deo cœli
  Tradidit vitalia.
O mors Christi, mors amara,
Nos resolve[7] de avarâ
  Demonis potentiâ.

---

[7] Liber, sine sensu, *Nos, rex, solve.*

Petræ ruptæ, velum scissum,
Lugent[8] scelus hoc commissum,
  In tenente omnia:
Contremiscunt elementa:
Mortuorum sunt inventa
  Corpora surgentia.
O perfossum Christi latus,
Amor ejus per te datus
  Cuncta reddat suavia:
Forceps, clavi quo[9] trahuntur,
Christi membra et solvuntur,
  Mentis trahat noxia:
Scriba Christum qui de Cruce
Tollit vespertinâ luce,
  Nos tollat ad gaudia.
Jesum in sindone mundâ
Sepelit mente jucundâ
  Joseph ab Arimatheâ.
Cuncta Christi armatura
Nos hic solvat, ut futurâ
  Perfruamur gloriâ. Amen.

---

[8] MS. nullo sensu, *lugens*.

[9] Apud scriptores sequioris ævi, masculini generis, ut et hic, invenitur verbum.

XVII.

IN PASSIONE DOMINI[1] AD COMPLETORIUM.

AMOREM sensus erige,
Ad te, largitor veniæ:
Ut fias clemens cordibus,
Purgatis inde sordibus.

Benigne multum Domine,
Tu lapsum scis in homine:
Infirma est materia,
Versamur in miseriâ.

Clausa tibi sat agnita,
Nulla mens est incognita:
Aufer a nobis omnia
Fallentis mundi somnia.

Dives pauper effectus es;
Pro nobis crucifixus es;

---

[1] Hunc hymnum, qui, meâ quidem sententiâ, cum suavissimis haud immerito comparari potest, ex Hymnario MS. exscripsi; id cum Hymnario Wolfenbüttelensi (vide Præfat.) jam compactum invenitur. Exstat tamen in Breviario Havelbergensi, teste Daniello, qui, quod maxime miror, non nisi initium dedit. Quamvis minime sit sequentia, dulcissimo tamen hymno Lectorem, cum præ manibus erat, fraudare nolui.

Lavans ex tuo latere
Nos munda vitâ vetere.

Externi huc advenimus,
In exilio gemimus:
Tu portus es et patria:
Reduc ad vitæ atria.

Felix te sitit charitas,
Te, fontem vitæ, veritas:
Beati valde oculi
Te speculantis populi.

Grandis est tibi gloria,
Tuæ laudis memoria:
Quam sine fine celebrant
Qui cor ab imis elevant.

Hoc ut possimus, Domine,
Præsta in tuo nomine:
Sine quo labor deficit,
Qui nihil digne efficit.

Deo Patri sit gloria
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et in pèrpetuum. Amen.

XVIII.

IN MISSA COMPASSIONIS B. M. V.

E MISSALI LEODIENSI.[1]

MŒSTÆ parentis Christi Mariæ lacrymas eia nunc recita plebs Agni mitis cruore redempta. *a*

a Qui generis humani collapsi maculas purpureâ lavit in Cruce, vulnera passus cruenta:

b Sputa, clavos, atque ludibria, spinas tulit, et sæva verbera.

b Mater cernens tanta supplicia flet discerpens pectus et ubera.

c Heu me! clamat: heu me! congeminat: plorans, tristis, quod sæpe replicat: Fili dulcissime, cur[2] ista pateris?

c Cur confixus in Cruce moreris, ac si reus fuisses sceleris? cum nil unquam mali commiseris.

d Heu me! clamans, dat alta suspiria: dicens, Cur vita durat sic anxia? cur non moriar? mors autem[3] cur mihi parcit?

---

[1] Prosa, sequioris ævi, Notkeriana partim, partim Victorina est.

[2] Vel *ista* debet abesse: vel in proximo versu post *unquam* addendum est *in te*.

[3] Liber, contra metrum, *aut*.

d Quæ mater unquam, quæve puerpera nati dilecti tanta supplicia videre simul et ultra vivere possit?

e Est istane gratia, quam mihi retulisti, Gabriel, dicens: Ave Maria, gratiâ plena?

e Sunt mihi contraria, quæ prius promisisti, cum mihi nunc pro gratiâ sint dolor atque pœna.

f Inter omnes mulieres me dixisti benedictam;

f Omnes nunc videre possunt me gementem et afflictam.

g De hoc senex Symeon prophetat

g Dicens, ut Evangelista narrat,

h Ecce positus est[4] in ruinam tuus iste Filius,

h Et tuam animam ipsius pertransibit gladius.

i Mater læta concepisti,
et dolorem non sensisti,
quando virgo peperisti
tuum Unigenitum.

i Cum usurâ nunc solvisti
pœnas quas tunc evasisti;
videns modo morte tristi
mori tuum Filium.

k Sic stat Mater desolata
jam non mater, sed orbata
dulci suo Filio:

---

[4] Debet, metri causâ, *est* abesse.

k Plangit, plorat, præstolatur,
quoadusque deponatur
corpus de patibulo.
l O lacrymosus intuitus[5]! sedet semimortua parens:
et extincti funeris in gremio tenet exuvias.
l Omnia pererrat stigmata, locaque cruenta clavorum,[6] et plagas cruentas: videt spinoso præcincta tempora
m Serto; et in latere patentes cordis
m Januas; o gravis dolor et gemitus!
n Nati quondam speciosi membra modo livida tractat
mater inter manus teneras.
n Amplexatur, osculatur, ora facta pallida, propter
pœnas atque plagas asperas.[7]
n Manus extorquens exclamavit, fletuque corpus
irrigavit, stillans ut ros effundensque lacrymas.
o Venit tandem Joseph pius corpusque involvit
sindone:
o Venit atque Nicodemus, perfundens illud unguine:
o Post in monumento novo præparabant recondere.
p Quis potest lacrymas tenere, licet sit corde saxeo,
p Et non simul condolere in hoc planctu virgineo?
p Qui cum ipsâ nescit flere, non est ei compassio.

---

[5] Qui sequuntur quatuor versus corruptissime, quoad distinctionem, leguntur.

[6] Omisi *necnon*, metri causâ.

[7] Liber, *stillans ut nos lacrymas.* E conjecturâ correxi ut et metro et sensui satisfacerem.

q Qui scrutator Scripturarum
est, videbit fœminarum
planctus amarissimos.
q Anna Samuelis orat,
temulentaque dum plorat
putatur apud æmulos.
r Vox Rachelis ejulantis
in Ramâ personuit:
r Suos filios plorantis
consolari noluit.
s Tristis Noemi dolebat,
raptus mortis dum trahebat
maritum cum filiis;
s Annaque Tobiæ flebat
quando pater hunc mittebat
in Rages pro pecuniis.
t Anna mater Samuelis, Annaque Tobiæ, et Noemi et Rachelis, si credamus Hieremiæ, planctant cum lacrymis,
t Sed ad lacrymas amaras Virginis Mariæ, matris Christi crucifixi verique Messiæ, non erat planctus similis.
u Ergo Mater Jesu Christi,
propter pœnas quas tulisti
pro tuo dulci Filio,
u Des ut tecum hic ploremus,
et cor nostrum perforemus
compassionis gladio.

x Sic, o Virgo dolorosa,
fac nos tecum lacrymosa
sentire suspiria:
x Ut post vitam infelicem
habeamus te ductricem
ad eterna gaudia. Amen.

XIX.

DE PIETATE MARIÆ VIRGINIS.

E MISSALI ANDEGAVENSI.

FESTINEMUS omnes vere
Matri Christi condolere,
In ejus Martyrio:
Laboremus cum fervore,
Et speremus cum amore,
In ejus auxilio.

Immolandus bona serit,
Passionis locum quærit,
Natus Matris Virginis:
Quando Christus vinculatur,
Palmis strictis flagellatur,
Cæsus flagris plurimis.

Virgo suum videt natum
A Judæis mane captum,
Magnum dans suspirium:

Flagellatum, coronatum,
Fœdis sputis attrectatum,
  Sævum fert Martyrium.

Extra castra ductus Jesus,
Unctus sputis, pugnis cæsus,
  Crucem fert in publicum.
Mater sequens Agnum mitem,
Repræsentans Sunamitem,
  Natum deflet Unicum.

Virgo videns flagellari,
Et in cruce conclavari
  Suum Unigenitum,
Patienter sufferebat,
Et constanter requirebat
  Dextræ Dei digitum.[1]

Virgo Mater stat sub Cruce,
Triumphante Christo duce
  Per mortem turpissimam.
Luctus, planctus, et ploratus,
Dolor, metus, ejulatus,[2]
  Stringunt ejus animam.

---

[1] Minus opportune imitatus est poeta versum illum in Hymno Carolino, 'Dextræ Dei tu digitus.'
[2] Liber, *et singultus.*

Christus Crucis in ambone[3]
Constitutus, in agone
  Septem verba protulit:
Mater præsens tribulata
Tam patrata quam plorata
  Secum silens contulit.

Calvum rident Helisæum:
Jesum nudum, Verum Deum
  Illudebant emuli:
Et si[4] Natum dehonestant,
Dolorosam commolestant
  Matris mentem stimuli.

Inter fures deputatur,
Jesus felle tunc potatur,
  Moritur innoxius.
Lanceatus, depositus[5]
Est a cruce, et sepultus:
  Sic torquetur Filius.

---

[3] Ex re ecclesiasticâ documentum petiit poeta. Sicut enim in ambonem ascendit diaconus, ut verba Evangelii populo nuntiet: ita Christus, qui formam diaconi, id est servi, receperat, in ambonem crucis ascendit, ut septem sua verba inde Ecclesiæ pronuntiaret.

[4] Ita ex conjecturâ dedi pro *sic*.

[5] Latet ulcus, quod emendare nequeo.

Cum hæc videt Mater Christi,
Percussa est plagâ tristi,
  Stillant ejus lachrymæ:
Palluerunt Matris genæ,
Turbant eam mille pœnæ
  Atque plagæ plurimæ.

Cor prædulce, cor amoris,
Globus factus est doloris,
  Vas amaritudinis.
Virgo corde lacessita,
Quasi fuit sine vitâ,
  Corruit exanimis.

In amarâ Christi morte,
Illa[6] Martyr fuit corde,
  Mortis fert supplicium:
Dolor ingens dolor ille:
Dicunt sancti plusquam mille,
  Præcellit Martyrium.

Cuncta tremunt elementa:
Carpunt luna, sol, lamenta
  Condolente Virgine:

---

[6] Ecclesia enim semper inter Martyres B. Virginem numeravit, quippe quæ dirissimum in Filii sui Passione perpessa fuerit martyrium. Sic quoque cantilena Anglica: 'Heyl Mayden, heyl Modur, heyl Marter trowe.'

Deo compar voluntate,
Pari flagrat charitate
  Pro salvando homine.

Sola Virgo tenet fidem:
Constans docet et quod idem
  Resurget in gloriâ;
Veræ doctrix disciplinæ,
Nobis donet sine fine
  Perfrui lætitiâ. Amen.

XX.

IN RESURRECTIONE DOMINI.

EX MISSALI MS. WOLFENBÜTTELENSI.

PANGAMUS Creatori atque Redemptori gloriam,
a Qui bene creatos sed seductos astutiâ
a Callidi serpentis, suâ refecit gratiâ,
b Prædicens futurum ut Germen sancta proferret fœmina,
b Quod Hostis Antiqui nociva amputaret capita;
b Quod primitus perdita serius nostra cernunt sæcula.
Quam splendida flosculo virgula novo pollet Maria,
c Qui editus mire edidit miracula:
d Nec juvenis tantum, sed statim post suæ Nativitatis primordia,

c Per sideris lumen, vel Symeonis verba,

d Judaica ad se vel corda, vel munera attrahens rite Gentilia.

e Quem Pater in voce, et Spiritus Sanctus specie glorificat:

e Visentes Doctorem, Archiatrum, docent auctoritate suâ.

f Qui postquam salutis dona dedit multa, doctrinæque perplurima ore suo promulgavit saluberrima,

f Ad probra, sputa, colaphos, et flagella, vestem quoque ludo quæsitam et spineum[1] venit sertum, ad Crucis brachia:

Quæ hodie, triumphali morte resurgens, sprevit victoriâ,

Ducens secum primitiva ad cælos membra, et nuper dispersa revocans ovilia:

Quem et nobis, in fine sperandâ, licet ultima membra simus, spondet dona.

---

[1] Liber *Spineam.*

XXI.

IN RESURRECTIONE DOMINI.

EX MISSALI MS. WOLFENBÜTTELENSI.

HÆC est sancta sollemnitas sollemnitatum, *a*
Insignita triumpho Christi : *b*

a Quo devicit imperium forte potens Crux :[1]
b Quo nos precioso sanguine
b De potestate Diaboli[1]
c Redempti : ergo gratias agamus Nostro Redemptori.
c Rex Regum Christe,[2] Angelicis[3] choris junge famulantes.
d Vultu placido homines in tuis laudibus sedulos pius intuere,
d Quorum mortibus condolens[4] in tantum humilis factus es ut mortem subires.
e Tu devictis inferni legibus surgens[5] triumphas.
e Tu post Crucem per orbem gentibus imperas omnem,
f Fili Dei.
f Alleluia.[6]

---

[1] Corrupte legitur in MS. hic, *diabolus*, illic, *crucis.*

[2] MS. *lues* inserit, sine sensu.

[3] Melius, quoad metrum, scripsisset poeta, *Angelorum.*

[4] MS. *conferens vitam.* Dedi *condolens*, quod cum versu responsorio, alias bene se habente, optime congruit : et eo versu nititur : 'Qui *condolens* interitu Mortis perire sæculum, Salvasti mundum languidum, Donans eis remedium.'

[5] Dedi *surgens* pro *resurgens*, ut metro consuleretur.

[6] Addidi, tum metri, tum temporis causâ.

XXII.

IN PASCHA ANNOTINO.[1]

E MISSALI TORNACENSI.

SURGIT Christus cum trophæo,
Jam ex agno factus leo,
Solemni victoriâ:
Mortem vicit suâ morte,
Reseravit seras portæ
Suâ mortis gratiâ.
Hic est Agnus qui pendebat,
Et in Cruce redimebat
Totum gregem ovium:[2]

---

[1] Pascha Annotinum, secundum doctiorum sententiam, Anniversarium erat Paschæ præcedentis anni: quia antiquitus, inquit Micrologus, ii qui in Pascha ultimo baptisati fuerant, eundem diem subsequentis anni cum oblationibus celebrare consueverunt. In quibusdam Ecclesiis, in Sabbato in Octavis Paschæ vel in Dominicâ in Albis semper celebrabatur.

[2] Poetam in oculis præclarissimam sequentiam *Victimæ Paschali* habuisse, non est quod moneam. Hic versum *Agnus redemit oves* aperte imitatur. Nec dubito quin Prosa ista, ubi ad S. Mariam Magdalenam oratio se vertit, primaria et quasi fons fuerit, ex quâ alia, quam in Missali Maguntinensi inveni, originem ducit. Ibi enim B. Mariam Virginem alloquitur poeta: nec tam Prosam *Victimæ Paschali laudes offerant Christiani*, quam quæ ad ejus normam

Cüi nullus condolebat
[3]Magdalena incendebat
  Doloris incendium.
[4]Dic, Maria, quid vidisti,
Contemplando crucem Christi?

Vidi Christum spoliari,
Et in cruce sublevari
  Peccatorum manibus:[5]
Caput spinis coronari,
Vultum sputis maculari,
  Et plenum livoribus:

---

composita est, *Virgini Mariæ laudes intonent Christiani* in animo habuit. Sequuntur Miss. Magunt. lectiones variæ.

[3] Magunt. Matrem ejus consumebat.

[4] Mag. Mater Christi.

[5] Post hoc Mag:

Mater Dei, quid vidisti
Contemplando crucem Christi?
Vidi valde cruentatum,
Hastâ latus perforatum,
  Vivi fontis exitum.
Mater Dei, &c.
Quod se matri (*sed legendum est* Patri,) commendavit,
Et quod caput inclinavit,
  Et emisit spiritum.
Virgo Mater, quid fecisti,
Postquam Natum amisisti?
Post hæc domum deportata,
Et ex totâ cruentata,
Sic, jacebam desolata,
  Repleta mœroribus.

Clavos manus perforare,
Hastam latus vulnerare,
  Vivi fontis exitum;
Quod se Patri commendavit,
Et quod caput inclinavit,
  Et emisit spiritum.

Dic, Maria, quid fecisti,
Postquam Christum amisisti?

Matrem flentem sociavi,
Et ad domum deportavi;
Tunc ad terram me prostravi,
Et utrumque deploravi.
Post unguenta præparavi,
Et sepulchrum visitavi:
Non inveni quem[6] amavi,
Fletus meos duplicavi.

O Maria,[7] noli flere:
Jam surrexit Christus vere.

Certe multis argumentis
Signa vidi resurgentis.

---

[6] Ad Cantic. iii. 1, respexit poeta: 'Quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum, et non inveni.'

[7] Ita quoque in Hymno Sarisb. de Festo S. Mariæ Magd.
O Maria, noli flere:
  Jam non quæras alium.

Dic nobis, Maria,[8]
Quid vidisti in viâ ?

Angelicos testes,
Sudari*um* et vestes.
Surrexit Christus spes mea:
Præcedet vos in Galilæâ.

Scimus Christum surrexisse a mortuis vere:
Tu nobis victor Rex miserere. Amen, Alleluia.

XXIII.

IN FERIA SECUNDA POST PASCHA.

E MISSALI LEODIENSI.

ALTISSIME Jesu Christe, qui dignatus es mundâ
Ex Virgunculâ Mariâ carnem nostram assumere immaculatam: *a*

a Tu per feminam renovas carnem nostram, quæ perierat per Evam.

b Tu nostra visitasti infirma, ut infirmas sanans curares animas.

b Nam, quamquam in humanâ naturâ apparebas, tu carebas maculâ.

---

[8] Ex prædictâ sequentiâ reliquum carmen mutuatur poeta.

c Tu nostri miserans de supernâ existi Patriâ, visitans nostra,

c Charitate tuâ nimis carâ quâ[1] nos dilexeras super omnia.

d Ergo tua jugiter regnat altissima divinitas.

d Servi formam tu non dedignans jungis tibi ecclesiam.

e O quis jam tanta digna et pia pietatis viscera!

e Has pie cantet odas ecclesia nunc[2] dulciter tuas,

f Jubilans propter magna dilectionis dona: quâ tu nos dilexeras, nos tuum plasma ;

f In tantum ut pro nostrâ tu morereris vitâ: et reduceret vitam mors, Christe, tua.

g Gaudet Ecclesia pia promere carmina,

g Seque mundissimam parare studet hostiam,

h Dum mortificat mala vitia: gloriam dum desiderat mori propter tuam.

h Illam tu serva, tu lætifica: hæc tua dicitur sponsa, sanguine quæsita.

i Hæc sacrata[3] festa tribuas paschalia

i Tuis semper servis colere continua

i Ut eis eternam dones vitam.[4] Amen.

---

[1] Addidi *quâ*, tum sensu, tum metro postulante.

[2] Transposui, metri causâ, *odas* et *nunc.*

[3] Additur Rubrica: *In dedicatione ecclesiæ dicuntur sic sequentes versus:* Hæc sacrata aula dicitur Ecclesia: Tu in illâ bona precantes exaudias: Ut eis eternam dones vitam. Amen.

[4] Inter paucas hæc est Sequentias quæ, extra Adventum et Nativitatem, in *A* desinunt.

XXIV.

IN FERIA TERTIA POST PASCHA.

E MISSALI TORNACENSI.

AULÆ lucidæ repertor,[1] lux et janua, die hodiernâ *a*
a Surrexit morte devictâ hostia viva Patri immolata,
b Suâ sanctâ gratiâ:
b O quam pia clementia!
c Quos atrox serpens morsu detruserat in Tartarum,
c Hos Christus clemens revexit luminis ad gaudia.
b Suâ sanctâ gratiâ:
b O quam pia clementia!
c Leo fortis de tribu Juda morte solvit mortis vincula
b Suâ, &c.
d Nobis Vita reddidit vitam: et ad Patris ducit vitam suâ.
e Cujus cruore redempti, summâ sub gratiâ,
e Cum ipso resuscitati sumus in gloriâ:
d Nunc pia corda jubilent per festa hujus diei paschalia.

---

[1] Vitiose liber hos versus post *janua* separat. Ante *surrexit* omisi *Christus:* quod mera est glossa, metroque repugnat.

[2] Liber, *sumus resuscitati.*

f Ut mereamur interesse Sanctæ Resurrectionis gloriæ.

f O felix turba, cui patent regna[3] eterna, Christi munere reddita!

f Vere beata, cui angelica caterva ministrabit sine metâ!

h Jam Christe, veniâ redemptis indultâ,

h Cum tu judicare veneris sæcula

f Desiderata da nobis gaudia in Sanctorum gloriâ. Amen.

XXV.

IN FERIA V. POST PASCHA.

E MISSALI SARISBURIENSI.

DIC[1] nobis quibus e terris[2] nova *a*
Cuncto mundo nuncians gaudia *a*

a Nostram rursus visitas patriam?

b Respondens placido vultu, clarâ dixit voce Alleluia.

b Angelus mihi de Christo indicavit pia miracula:

c Resurrexisse Dominum siderum cecinit voce laudandâ.

c Mox ergo pennas volucris vacuas dirigens læta per auras

---

[3] Inserit liber *piis*, quod omisi.

[1] Et hæc sequentia, quamvis Paschalis, in *A* desinit.

[2] Libri plerique, sine sensu, *ætheris—visitans*.

d Rediit famulis, et dixit vacuatam legem veterem, et novam regnare gratiam:

d Itaque plaudite famuli, voce clarâ: Christus hodie redemit nos a morte dirâ.

e Pater Filium tradidit sævis;[3] ut interimerent pro salute nostrâ.

e Sponte subiit Filius mortem; ut redimeret nos morte ab eternâ.

f Nunc requiem capere licet omnibus; et vitâ frui perpetuâ.

f Nunc colite pariter mecum, famuli, celebri laude Sanctum Pascha:

Christus est pax nostra.

XXVI.

IN DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

E MISSALI RATISBONENSI.

REX Deus, Dei Agne, Leo Juda magne, *m*

a Cruce virtutum, mors peccati, vita justitiæ, da fructum jam ligni vitæ pro jussu scientiæ, pro rapinâ[1] gloriæ.

---

[3] Forsitan *servis* [Et ita se habet in ed. Paris. 1555].

[1] Alluditur ad S. Matth. xi. 12. 'Regnum cælorum vim patitur, et violentes rapiunt illud.'

a Cum tuus sanguis jus romphææ[2] restinxit flammeæ, Paradisi pandit ostium stirps obedientiæ, medicina gratiæ.

b Hæc dies celebris, pax est in terris, fulgor inferis, et lux superis: dies duplicis baptismi[3] Legis et Evangelii.

b Pascha[4] est hodie; dum vetus transit, novus surgit hæc dies Domini: gaude mens expers fermenti [et] plena panis azymi.

c Submersis hostibus, signatis postibus, assum Pascha nocte, domo unâ, jam cum lactucis ede[5] agrestibus.

c Accinctis renibus, pellitis[6] pedibus, cum baculo propera, et caput cum intestinis et pedibus vora.

d [7]Hâc die nos lava, Christe, mundans hyssopo: fac

---

[2] Ita quoque Adamus:

Christi sanguis igneam
Hebetavit romphæam,
Amotâ custodiâ.

[3] *Baptismi legis:* 'quia patres nostri omnes——in Moyse baptizati sunt in nube et in mari.' *Et Evangelii:* alluditur ad priscum ritum Catechumenos in Vigiliâ Paschæ baptizandi.

[4] Liber, *Christus Pascha est hodie:* quod alicujus additamentum est, sensum detorquentis.

[5] Exod. xij. 8. 'Et edent carnes nocte illâ assas igne, et azymos panes cum lactucis agrestibus.'

[6] Exod. xij. 11. 'Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, et calceamenta in pedibus habebitis, et comedetis festinanter; est enim Phase Domini.'

[7] Ita versum difficillimum interpungo. *Mundans hyssopo.* Alluditur ad Exod. xij. 22, Psalm. lj. 7, et Hebr. ix. 19,

dignos hoc ministerio, mare siccans: Leviathan
perforans maxillam hamo armillâ.

d Calice nos inebria, sopi; suscita de torrente bibens
in viâ damna nostra; tu Pontifex Hostia torcular calcans, tu una.

e O flos virgineæ virgæ fragrans,
e Plena septemplici rore lampas,
f Vino, lacte, pulchrior specie,
f Rosæ rubor,[8] lilii candor,
g Quod te tantæ clementiæ consilio
g Microcosmi inclinaveras auxilio
h Ut miseris Princeps, Redemptor, esses, absque
h Peccati nævo gestans formulam peccati!
i Ergo consanguinee
i Servi[9] Domine,
k Spe anastaseos primæ, ultimæ,
k Per jusjurandum semen Abrahæ,
l Firma et nos, Dux Athanatos, nunc tuo convivificans
l Corpori, commortuos Adæ parenti veteri:
m Tu membris fortioribus jungens infirma:
m In te eterna des pascua, tu Pascha!

Mare siccans: quia hodie per Mare Rubrum transitur. *Leviathan* genitivi esse casus crediderim, et *hamo, armillâ,* apposite locata esse. Ad cap. xlv. 21. Job. alludit poeta, ibique S. Gregorii interpretationem.

[8] Liber, vitiose, *robur*.

[9] Vel hic desunt duæ syllabæ, vel e versu superiori omittendum est *Ergo*.

XXVII.

IN FESTO ASCENSIONIS.

E MISSALI SARISBURIENSI.[1]

REX omnipotens die hodiernâ, *o*
Mundo triumphali redempto potentiâ, *a*
a Victor ascendit cœlos unde descenderat.
b Nam quadraginta postquam surrexerat
b Diebus sacris, confirmans pectora
c Apostolorum, pacis cara relinquens[2] oscula,
c Quibus et dedit potestatem laxandi crimina,
d Et misit eos in omnem mundum baptisare animas,
d In Patris et Filii et Spiritus Sancti clementiâ,
e Et convescens præcepit eis ab Hierosolymâ[3]
e Ne abirent, sed expectarent promissa munera:
f Non post multos enim dies mittam vobis Spiritum Paraclitum in terrâ.
f Et eritis mihi testes in Hierusalem, Judæâ, sive Samariâ.
g Et cum hoc dixisset, videntibus illis, elevatus est: et nubes clara

---

[1] Habetur et in plerisque Gallicis :—et in Leodiensi.

[2] Leod. *commendans.*

[3] Ita dedi pro *Hierosolymis,* contra omnium librorum fidem, ut in A desineret versus. In unam syllabam duæ primæ coalescunt.

g Suscepit illum ex eorum oculis, intuentibus illis æthera.[4]

h Ecce steterunt amicti duo viri in veste albâ,[5]

h Juxta, dicentes: Quid admiramini cælorum[6] alta?

i Jesus enim hic qui assumptus est a vobis ad Patris dexteram,

i Ut ascendit, ita veniet; quærens talenti commissa lucra.

k O Deus cæli,[7] maris, arvi, hominem quem creasti, quem[8] fraude subdolâ

k Hostis expulit Paradiso, et captivatum secum traxit ad Tartara,

l Sanguine proprio quem redemisti, Deus,[9]

l Illum et revehis[10] unde prius corruit,

m Paradisi gaudia:[11]

n Judex cum veneris judicare sæcula,

n Da nobis, petimus,[12] sempiterna gaudia,

m In Sanctorum Patriâ:

o In quâ tibi canamus.[13] Alleluia.

---

[4] Pictaviens. *aera.* [5] Leod. *clarâ.*

[6] Pict. *polorum.*

[7] Pict. *maris, poli, arvi.* Leod. *mare, polum, arva, hominem qui creasti.*

[8] Omittit Pict.

[9] Pict. *tuo.* Leod. *redemisti nos Deo.*

[10] Pict. *provehens.*

[11] Pict. *gloriâ.* Leod. *in gaudia.*

[12] Leod. *quæsumus sempiternam requiem.*

[13] Sarisb. *Cantemus omnes, Alleluia.*

XXVIII.

IN DIE SANCTA PENTECOSTES.

E MISSALI SARISBURIENSI.[1]

SANCTI Spiritus adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi faciat habitacula, *a*
a Expulsis inde cunctis vitiis spiritalibus.
b Spiritus alme, illustrator omnium,
b Horridas nostræ mentis purga tenebras:
c Amator sancte sensatorum semper cogitatuum,
c Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.
d Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
d Purifica nostri oculum interioris hominis,
e Ut videri supremus Genitor possit a nobis,
e Mundi cordis quem soli cernere possunt oculi.
f Prophetas tu inspirasti, ut præconia Christi præcinuissent inclyta.
f Apostolos confortasti, uti tropæum Christi per totum mundum veherent.
g Quando machinam per Verbum suum fecit Deus cœli, terræ, marium,

---

[1] Sequentia inter vulgatissimas est, et jam a Daniello data. Eam tamen rursus dedi, ne tantum festum in libro nostro prosâ careat. Scriptor ejus, ut vulgo creditur, Robertus erat, Rex Franciæ: qui et illius, *Veni Sancte Spiritus*, auctor est.

g Tu super aquas, foturus eas, numen tuum expandisti, Spiritus.

h Tu animabus vivificandis aquas fæcundas:

h Tu aspirando das spiritales esse homines.

i Tu divisum per linguas mundum et ritus adunasti, Domine.

i Idolatras ad cultum Dei revocas, magistrorum optime.

k Ergo nos supplicantes tibi exaudi propitius, Sancte Spiritus,

k Sine quo preces omnes cassæ creduntur, et indignæ Dei auribus.

l Tu qui omnium sæculorum sanctos tui nominis docuisti instinctu amplectendo, Spiritus.

l Ipse hodie Apostolos Christi donans munere insolito et cunctis inaudito sæculis

Hunc diem gloriosum fecisti.

XXIX.

IN FERIA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

E MISSALI LEODIENSI.

PLACATUS quæsumus preces nostras alme Spiritus, audias,
a Corda faciens nostra digna tibi domata :[1]
A sedibus nostræ mentis cunctas pellens noxas, tetras fuga tenebras,
a Nostris sensibus tuam unctionem ministrans:
Nostra tu cuncta purifica animarum antra.
Tu discipulos hodie visitans cunctarum eis gentium dederas effari linguas, atque proinde tua narrare magnalia.
b Tu nostræ rubiginem auferas linguæ cunctam. Alleluia.

---

[1] Liber, sine sensu, *dogmata*. Sed quum sexcenta occurrant exempla, in quibus Græcâ voce utuntur poetæ medii ævi, ut *Agie*, *elpis*, *anastasis*, vix dubitare possum quin emendatio nostra vera sit. Corda enim nostra *habitacula* sua facit S.S. Habitacula autem poeta noster, ut doctrinam suam ostenderet, *domata* vocat: quo in verbo cum hæsisset aliquis, Græcæ linguæ imperitus, *dogmata* emendavit.

XXX.

IN FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM PENTECOSTES.

E MISSALI LEODIENSI.[1]

AMOR Patris et Filii: veri splendor auxilii: totius
spes solatii:
O indeficiens piorum lux et præmium justorum:
sublevator perditorum.
Omnis fortitudinis ac omnis sanctitudinis,
Ac beatitudinis donator: omnis rectitudinis amator:
Omnipotens, propitius: omnitenens, innoxius.
Justius, carius, honestius,
Sanctius, fortius, potentius,
Quo nihil est potentius:[2] quo nihil est vel melius:
Illuminator cordium: per quem ad Patrem omnium
venitur, et ad Filium:
Fons ingenii, dator gaudii: medicina vitii, spiritus
consilii:
Humilis, docilis, et invariabilis;
Habilis, nobilis, et insuperabilis;

---

[1] Præclara Sequentia: quam tamen ita scripsit poeta, ut Hymnum *Veni Creator* ante oculos haberet. Partim Notkerianis, partim Victorinis se assimilat.

[2] Forsitan *amantius*, vel simile quiddam.

. . . . promptus et amabilis:
Donum electum, dans intellectum, dans et affectum; diligens rectum;
Patris ac Nati Spiritus, vivificans Paraclitus, divinæ dextræ digitus;
Sublimitas, jucunditas, et pietas et bonitas, humilitas et largitas,
Qui prout vult, quando vult, et ubi vult, quousque vult, et quantum vult
Spirat et erudit, replet et erigit, ditat et instruit:
Spiritus scientiæ ad consolandum hodie Apostolis donatur:
Et eis plenarie fons veræ sapientiæ per hunc administratur. Alleluia.

XXXI.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

E BREVIARIO PICTAVENSI.

PROFITENTES Unitatem[1]
Veneremur Trinitatem
Pari reverentiâ:
Tres Personas asserentes
Personali differentes
A se differentiâ.

---

[1] Sequentia, tum doctrinæ gravitate, tum verborum dispositione admirabilis, Adamum de S. Victore scriptorem habet.

Hæc dicuntur relative,
Cum sint unum substantive,
  Non tria principia:
Sive dicas tres vel tria
Simplex tamen est usia,
  Non triplex essentia.

Simplex esse, simplex posse,
Simplex velle, simplex nosse,
  Cuncta sunt simplicia:
Non unius quam duarum
Sive trium personarum
  Minor efficacia.

Pater, Proles, sacrum Flamen,
Deus unus;—sed hi tamen
  Habent quædam propria:
Una virtus, unum lumen,
Unus splendor, unum numen,
  Hæc unum quod alia.

Patri Proles est æqualis:
Nec hoc tollit personalis
  Amborum distinctio:
Patri compar Filioque,
Spiritalis ab utroque
  Procedit connexio.

Non humanâ ratione
Capi possunt hæ Personæ,

Nec harum discretio:
Non hic ordo temporalis,
Non hic situs, aut localis
Rerum circumscriptio.

Nil in Deo præter Deum:
Nulla causa præter eum
Qui creat causalia:
Effectiva vel formalis
Causa Deus et finalis,
Sed nunquam materia.

Digne loqui de Personis
Vim transcendit rationis,
Excedit ingenia:
Quid sit *gigni*, quid *processus*,
Me nescire sum professus:
Sed fide non dubiâ.

Qui sic credit, ne festinet,[2]
Et a viâ non declinet
Insolenter regiâ:[3]
Servet fidem, firmet mores,
Nec attendat ad errores
Quos damnat Ecclesia.

Nos in fide gloriemur:
Nos in unâ modulemur

---

[2] Alludit poeta ad Isai. xxviij. 16. 'Qui credit, ne festinet.'
[3] Alluditur ad Num. xxj. 22.

Fidei constantiâ:
Trinæ läus Unitati,
Sic et simplæ Trinitati
Co-eterna gloria. Amen.

XXXII.

IN MISSA VOTIVA DE SS. TRINITATE.

E MISSALI XANTONENSI.

VOX clarescat, mens purgetur,
Homo totus emuletur:
Dulci voce conformetur
Pura conscientia:
Patri, Proli, jubilemus:
Pneuma Sanctum prædicemus;
Unam laudem tribus demus
Quos unit essentia.

Pater, creans, increatus,
Nascens, ab eterno natus,
Amor, ab his derivatus,
Sunt una substantia.
Tres personæ Trinitatis,
Unum esse Deitatis,
Sunt ejusdem majestatis,
Et idem per omnia.

Distinguuntur tres Personæ
Quævis suâ notione:
Non humanâ ratione
Discernuntur talia:
Pater, Proles, et Spiramen
Opem ferant et juvamen
Nobis reis, et levamen
A peccati sarcinâ. Amen.

XXXIII.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

E MISSALI ARGENTINENSI.

O PANIS dulcissime,[1]
O fidelis animæ
Vitalis refectio!
O Paschalis victimæ
Agne mansuetissime,
Legalis oblatio!

Caro carens carie,[2]
Quæ sub panis specie

---

[1] In optimâ prosâ, illius, quæ omnem laudem superat, *Veni Sancte Spiritus* rhythmum imitari voluit poeta.

[2] Tali paronomasiâ gaudent poetæ. Adamus: 'Sub securi stat securus.' 'Dum torretur, non terretur.' Anonymus quidam: 'Ter centies, ter millies, vale, immunde munde.'

Velaris divinitus,
Victu multifarie,
Recrea nos gratiæ
Septiformis Spiritus!

Sumentem, cum sumeris,
Quia non consumeris,
Eterne vivificas:
Nam reatum sceleris
Dono tanti muneris
Clementer purificas.

In te nos ut unias,
Et virtute munias,
Da te digne sumere,
Ut carnales furias
Propellens nos facias
Tecum pie vivere.

Sic refecti poculis
Sanguinis, et epulis
Tuæ carnis optimis,
Seculorum seculis
Epulemur sedulis
Invitati Azymis. Amen.

XXXIV.

IN FESTO QUINQUE VULNERUM CHRISTI.

(QUOD CELEBRATUR FERIA SEXTA POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.)

E MISSALI MAGUNTINO.

LAUS sit Regi gloriæ,
Cujus rore gratiæ
Totus orbis irrigatur:
In cantum lætitiæ
Cœlestis militiæ
Cohors omnis concitatur.

Ob honorem Salvatoris
Vulnerum atque cruoris
Jubilet Ecclesia:
Ignis divini fervoris
Cor inflammet laudatoris
In magnificentiâ.

Mitis Agnus immolatur:
Pro captivo liber datur:
Stola Verbi purpuratur
In Crucis altario:

Paradisus reseratur:
Nato stola prima datur:[1]
Annulatus calcitratur
  In Patris convivio.

Eia, Panis angelorum,
In splendoribus Sanctorum,
Summa copia bonorum:
Ora vulnerum tuorum
Pro commissis peccatorum
Clament ante Patris forum.

Opprobriis saturatus,
Flagellatus, lanceatus,
[Elevatus,] vulneratus
  In Crucis patibulo:
Diris spinis coronatus,
Inter nequam deputatus,
Potu felleo cibatus,
  Locatus in tumulo.

Auctor vitæ, non invite
Pateris, sed ut sopitæ
Sint ad te viæ fellitæ
  Sub queis proles moritur:

---

[1] S. Luc. xvi. 22. 'Dixit autem Pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedibus ejus.'

Te surgente, fit repente
Lux in tenebris jacente:[2]
Sol coruscans, te fulgente,
  Desperatis oritur.

In hoc festo te laudantes,
Tuis plagis hymnisantes,
Deum verum adorantes,
  Pio vultu respice:
Per hoc mare navigantes,
Duc ad portum remigantes,
Zelo te desiderantes;
  Nec redemptos despice. Amen.

XXXV.

DE VENERATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

A PENTECOSTE USQUE AD ADVENTUM DOMINI.

E MISSALI SALZBURGENSI.

ALMA Redemptoris[1] Mater,
  Quem de cœlo misit Pater
Propter salutem gentium,

---

[2] Vel *jacenti* scripsit poeta, vel latet ulcus.

[1] Ex notissimâ Antiphonâ initium petivit scriptor: 'Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli,' &c.

Tibi dicat mundus Ave;
Quia mundum tollens a væ[2]
Mutasti vocem flentium.

Sonet vox jucunditatis,
Quia tempus est æstatis:
Imber recens abiit:[3]
Jam vineæ floruerunt;
Flores odorem dederunt;
Jam enim hyems transiit.

Novitate partus casti,
Virgo, cuncta renovasti
Dum paris clauso cardine:
Stupet usus et natura,
Quum tu paris, Virgo pura,
Contra morem fœminæ.

Ave Virgo gignens florem,
Cujus mirantur odorem
Cœlum, tellus, maria:

---

[2] Sic quoque Sequentia in Concept. B. V. M.
Triste fuit in Evâ væ,
Sed ex *Evâ* format *Ave,*
Versâ vice sed non prave,
Intus ferens in conclave
Verbum bonum et süave, &c.

[3] Alluditur ad Cant. ii. 11: 'Jam enim hyems transiit: nubes recessit et abiit,' &c.

Partus tuus singularis,
Purum pure pura paris
Genitorem filia.

Audi, Mater pietatis,
Nos gementes pro peccatis:
Et a malis nos tuere:
Ne damnemur cum impiis
In eternis suppliciis :
Peccatorum miserere. Amen.

II.

SEQUENTIÆ

DE SANCTIS.

SEQUENTIÆ DE SANCTIS.

XXXVI.

IN OCTAVA S. ANDREÆ.[1]

E MISSALI ANDEGAVENSI.

EXULTEMUS et lætemur,
Et Andreæ delectemur
Laudibus Apostoli:
Hujus fidem, dogma, mores,
Et pro Christo tot labores
Digne decet recoli.

Hic ad lucem Petrum duxit,
Cüi primum lux illuxit
Johannis indicio:
Secus mare Galilææ
Petri simul et Andreæ
Sequitur electio.

Ambo prius piscatores
Verbi fiunt assertores,
Et formæ justitiæ:

[1] Prosa Adamum de S. Victore auctorem habet.

Rete laxant in capturam,
Vigilemque gerunt curam
Nascentis Ecclesiæ.

A fratre dividitur,
Et in partes mittitur
Andreas Achäiæ:
In Andreæ retia
Cadit, Dei gratiâ,
Magna pars provinciæ.

Fide, vitâ, verbo, signis,
Doctor pius et insignis
Cor informat populi:
Ut Egeas[2] comperit
Quid Andreas egerit,
Iræ surgunt stimuli.

Mens secreta, mens virilis,
Cujus patris vita vilis
Viget patientiâ:
Blandimentis aut tormentis
Non enervat robur mentis
Judicis insania.

---

[2] 'Post Patras Achaiæ profectus, et in eâ urbe plurimis ad veritatem Evangelicam perductis, Ægeam proconsulem, prædicationi Evangelicæ resistentem, liberrime increpavit, quod Christum Deum non agnosceret.'—Brev. Bened.

Crucem videns præparari,
Suo gestit conformari
  Magistro discipulus:
Mors pro morte solvitur,
Et Crucis appetitur
  Triumphalis titulus.

In cruce vixit biduum
Victurus in perpetuum:
Nec vult, volente populo,
Deponi de patibulo.

Horâ fere dimidiâ,
Luce perfusus nimiâ,
Cum luce, cum lætitiâ,
Pergit ad lucis atria.

O Andrea gloriose,
Cujus preces preciosæ,
Cujus mortis luminosæ
  Dulcis est memoria;
Ab hâc valle lachrymarum
Nos ad illud lumen clarum,
Pie pastor animarum,
  Tuâ transfer gratiâ. Amen.

XXXVII.

IN CONCEPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

EX MISSALI MS. WOLFENBÜTTELENSI.[1]

POTESTATE, non naturâ,
Fit Creator creatura,
Reparetur ut factura
Factoris in gloriâ:
Prædicatus per prophetas,
Quem non capit locus, ætas,
Nostræ sortis intrat metas,
Non relinquens propria.
Castitatis in timorem
Plasma gignit plasmatorem:
Virgo parit Amatorem:
Lactat Patrem filia.
Argumentum genituræ
Hujus nescit vis naturæ;
Suæ legis fracto jure,
Stupet depotentia.
Cælum terris inclinatur:
Homo Deus adunatur:
Adunato famulatur
Cælestis familia.

---

[1] Præclarissima Sequentia: quæ nisi fallor, Adamianum quam maxime sapit ingenium.

Rex Sacerdos consecratur,
Generalis quod monstratur
Cum pax terris nunciatur
  Et in cælis gloria.
Clausæ[2] quæris modum rei?
Causa prior omnes rei:
Deinde justum velle Dei:
  Sed conditum gratiâ.
O quam dulce condimentum,
Nobis imitans[3] pigmentum,
Cum aceto fel cruentum
  Degustante Messiâ!
O salubre sacramentum,
Hic nos ponas in jumentum,
Plagis nostris dans unguentum
  Ille de Samariâ.
Rex Salomon erigitur:
Dei Templum construitur;
Quoniam concipitur
  Per quem datur gratia.
O quam felix Conceptio
Per quam venit Redemptio;
Cum Virgo Dei Filio
  Præparavit uterum.

---

[2] Totum versum ex conjecturâ restitui. Sic enim se habet in MS. *Clausam quæris modum rei Causam prius omnes rei Modo justum velle Dei Seu conditum gratiâ.*

[3] Inserit MS. *in*.

Ille alter Helisæus
Reputatus[4] homo reus,
Suscitavit Homo Deus
  Sunamitis puerum.
Hic est Gigas currens fortis
Qui, destructâ lege mortis,
Ad amœna primæ sortis
  Ovem fert in humerum.
Vincit, regnat, Deus Homo:
Trahens orto lapsum pomo:
Cælo tractus gaudet homo
  Denum complens numerum.[5]
Nos igitur jubilemus,
[Et] conceptum celebremus;
Voce, votis, exclamemus,
  Ave Sancta Maria!
Patris Mater sola matrum,
Ora Patrem, jube Natum,
Ut[6] inducat adoptatum
Plenæ paci gloriâ:
  Quo refecti jussu Dei
  Cantemus Alleluia. Amen.

---

[4] Liber, *reputatur—suscitatus.*

[5] Alluditur ad notissimam de denis denariis parabolam. Novem enim Angelorum ordinibus jam decima additur drachma, redempta sc. humanitas.

[6] Ita dedi pro *nos.*

XXXVIII.

IN FESTO S. STEPHANI.

E MISSALI LEODIENSI.

UNUS amor et una concordia: una est et charitas.[1] *a*

a Unum Deum amat dilectio una: singularis charitas.

b Tantum ea, quæ nectit unitas, servat charitas.

b Quæ dissipant lis et discordia, fugat charitas.

c Martyria et eleemosynas, angelorum hominumque linguas, præstat charitas.

c Manent tria; fides, spes, charitas; major horum extat co-eterna Deo charitas.

d Ut Christus nostram vellet gestare formam suasit charitas:

d Ut cœli claram Stephanus intret aulam facit charitas.

e O Domine! o quem fecit nostra petere ima, insita tibi charitas!

Cum de S. Stephano oret Ecclesia: 'Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus etiam inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus orare D. N. J. C. F. T.,' haud inopportune de charitate disserit poeta, ex Cap. xiii. Ep. i. ad Corinth. haud pauca mutuatus.

e O Stephane! o quem dedit celsa scandere æthra,
impensa tibi charitas!
f Credit cuncta, suffert universa, atque sustinet
cuncta charitas.
f Non est vana, non ambitiosa; non quærit sua
lucra charitas.
g Et ipsa est flamma,[2] lampas, ignis, carbo, charitas.
g Est Pater, est Patris doxa, Flamen sacrum charitas.
Monas trinas est charitas.

XXXIX.

IN FESTO S. JOHANNIS EVANGELISTÆ.

E MISSALI TORNACENSI.

TRINITATEM[1] reserat aquila summus
Evangelista:
Felix sedes gratiæ
Summum Regem gloriæ
Videns mentis acie
Non repulsâ.

---

[2] Omisi *et* metri gratiâ.

[1] Ad normam carminis Bernardiani *Lætabundus* confecti sunt primi decem versus hujus carminis: quamvis in voce *Evangelista* prima syllaba redundet. Carmen e Notkeriano et Victorino mixtum est.

Johannem deificat,
Angelis pacificat,
Spiritus quem induat
    Cœli summâ.
Aquam vivam sitientis
Hic est potus recumbentis
    Supra pectus Domini:
Hic apparet miris signis:
Hic expugnat vires ignis
    Et ferventis olei.
Mirantur, nimiâ tormenti sævitiâ,
Quod Martyr quis fiat et pœnas non sentiat.
O Martyr, O Virgo, O custos Virginis per quam mundo gaudia;
In quo sunt, per quem sunt, ex quo sunt,[2] omnia, per te det suffragia.
O dilecte præ ceteris,
Christo a quo diligeris
Interpellans et exorans
    Nos ei concilia:
Tu qui rivus, duc ad fontem:
Tu qui lapis, duc ad montem:
Præsta sponsum ad videndum
    Tu qui totus gratia.
    Sponso laus per secula.

---

[2] Verba *ex quo sunt*, addidi, tum metro postulante: (respondent enim τῷ *O custos*:) tum quia sic melius S. Scripturam, (quod plane auctor voluit) referunt. Rom. xj. 36.

XL.

IN FESTO S. THOMÆ CANTUARIENSIS.

E MISSALI TORNACENSI.

LAUREATA novo Thomâ,
Sicut Petro suo Roma,
Gaude Cantuaria:
Imo tota sit devota,
Pia laudum solvens vota,
Militans Ecclesia!

Thomas iste dum tuetur
Legem Dei, promeretur
Iram Regis Angliæ:
Ergo pulsus urbe cedit,
Et transcurso mari credit
Sese Regi Franciæ.

Qui gratanter et condigne,
Tam devote quam benigne
Sicut patrem visitat:
Ibi, velut novus tiro,
Thomas in fervore miro[1]
Regi regum militat.

---

[1] Ita quoque Gervasius Cicestrensis:
'Noctis ei requies, somnus expers moræ,
Haustâ somni specie, preces mox in ore;

Tandem pace reformatâ,
Pace dolis palliatâ,
    Regressus ad propria,
Jura servans Deo servit:
Inde sævit et protervit
    Hostis arte variâ.

Nunc ut vulpes fraudulenta,
Nunc ut tigris violenta,
    Tentat omnes aditus:
Nunc minatur, nunc blanditur;
Ille nihil emollitur,
    Idem manens penitus.

Rex compertus non terreri
Virum assertorem veri,
    Nec frangi propositum,
Oves armat in pastorem,
Cohortatus in cruorem
    Cohortem satellitum.

Fletu fessis oculis, genibus labore,
Auxit hæc præludia ludo graviore.'

Tum disciplinis quibus usus est beatissimus Martyr enarratis, hæc addit:

'Reindutus splendidis, hoc exornans onus,
Talis suos latuit, vere latro bonus:
Jugis dum his institit annus fit octonus:
Raro interstitium, raro rigor pronus.'

Ergo nequam parricidæ,
Tam infandi quam infidi,
Libertatis ut patronum
Tollant et usurpent thronum,
  Ruunt in Ecclesiam;
Præsul orans in secreto
Palam prodit hoste spreto,
Nec turbatur quies mentis
Turbæ metu sævientis,
  Sed procedit obviam.

Sancti caput sacerdotis,
Exoptatum mille votis
  Sanctæ matris gremio,
Ferrum bibit, cruor manat,
Et ibidem cæcum sanat,
  In tumultu medio.

Quid loquamur quæ sequuntur?
Per se satis eloquuntur
  Ubique miracula:
Demon cedit; mors obedit:
Desperatis salus redit;
  Lepræ fugit macula.

Angulose Rex Anglorum,
Regem nescis Angelorum
Universa singulorum
  Ponderantem merita?

Quisque metit id quod serit;
Impunitum nihil erit:
Nec capillus ullus perit:
  Nedum ipsa capita.

Cleri gemma, clare Thoma,
Motus nostræ carnis doma
  Precis efficaciâ;
Ut in Christo verâ vite,
Radicati, veræ vitæ
  Capiamus præmia. Amen.

XLI.

IN FESTO S. THOMÆ CANTUARIENSIS.

E MISSALI SARISBURIENSI.

SOLEMNE canticum hodie resonet in terrâ, *a*
Ad palmam Martyris exultet superum caterva. *a*
b Quid facis, turba jucunda? gratulare cum superâ.
b Jubilet mens lætabunda: psallat Christo vox libera.
c Colebat festa Dominica[1] devota Cantuaria:
c Instaurat jussa tyrannica turbulenta militia.
d Diræ leges et mandata insolenter sunt prolata:

[1] *i. e.* festa Nativitatis Domini.

d Loca Christo consecrata prophanavit vis armata:

e Sed Christi sic in vestigio stabant Thomæ pedes recti, ut nequirent inde flecti.

e In sui Regis obsequio arbitratus lucrum mori caput offert percussori.

Gaude,[2] Thoma, de cujus victoriâ ortus Christi cumulantur gloriâ.

f Martyris declaratur gloria crebra per indicia.

f Curantur per ejus suffragia languidorum millia.

Trucidatur flos pastorum
Inter sanctuaria:
Nec diei, nec locorum,
Obstat reverentia.
Stella maris quæ lætaris
Te lactasse Filium;
Hunc precamur assequamur
Ut Thomæ consortium,
Ejus prece gloriosâ. Amen.

---

[2] Rubrica Sarisb.: 'Iste sequens versus ter dicatur.' Ideoque responsorio caret.

XLII.

IN FESTO SANCTI ERHARDI.

(D. VIII JANUAR.)

E MISSALI RATISBONENSI.

ALLELUIA Christo decantet omnis lingua:
Quia bonus, quia in eternum misericordia ejus.
Qui, Deus, Homo factus est, homines deos facere
dum destinat.
a In quorum numero est deorum præsul sanctus
Erhardus, Deo dilectus,
a Qui, carne nobilis, castus corde, pulcher formâ,
dives mundi substantiâ,
b Patrem, matrem, fratres, sorores, domum, agros,
totum linquens sæculum,
b Crucem suam tollens est Christum pauperem
secutus pauper spiritu:
c Carnis suæ vendens tunicam, spiritus[1] emit gladium,
c Quo accinctus ambit pervigil Salomonis[2] veri lectulum.

---

[1] Alluditur ad notissimam illam Patrum explicationem, quæ verba Dominica (Luc. xxij. 36.) de carne et spiritu intelligunt.

[2] Necessitate proprii nominis coactus, unâ syllabâ metrum excedit versus. Alluditur ad Cant. iii. 7, 'En lectulum Salominis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios.'

d O quanta dignitas famuli in conspectu Domini!

d Quod signum Christus potentiâ servus fecit gratiâ.

e Oculos cæci nati aperit manus Christi, inauditum sæculis ante transactis.

e Hoc noster et Erhardus, fortiter honoratus, signum in Otiliâ dat cæcâ natâ:

f Non tamen imperans illam videre, sed impetrans:

f Par in miraculo: impar miraculi Domino.

g Qui solus habere noluit quæ sua sunt solius, suis subdivisit,

g Cum ipsi in ipso opera faciunt quod et ipse, horum et majora,

h Per quem cæcos illuminans, dæmones quoque fugans,

h Christo tuo nos committe, præsul clemens Erharde.

i In se sibi lux est eterna:

i In te sibi laus est eterna:

i In se nobis vita eterna.

XLIII.

IN FESTO BEATISSIMÆ AGNETIS V. M.

E MISSALI MAGUNTINO.

LAUS sit Regi gloriæ,
Cujus formam gratiæ
Solis splendor obstupescit:[1]
In hortos ecclesiæ
Lilia colligere
Tanquam Sponsus dum processit,

Ecce Agnes invenitur,
Et inventa colligitur;
Lilium de lilio.
Annulo cujus munitur,[2]
Et in sponsam eligitur
Regi, Regis Filio.

Cujus fervens in amore
Spernit mundum cum decore:
Blandimentis nec tormentis
Emollita judicis;

[1] In sequentiâ, optimâ sane et elegantissimâ, ubique ad ipsissima S. Martyris verba respexit poeta. 'Cujus pulchritudinem,' dixit, 'sol et luna mirantur, ipsi soli servo fidem.'

[2] 'Annulo,' inquit S. Agnes, 'fidei subarrhavit me, et immensis monilibus circumdedit me.'

Cumque mentis in fervore
Sponsum quærit sponsæ more,
Spoliata vestimentis
  Densis latet capillis.[3]

Tunc inductâ lupanari,
Cellula fulget solari
  Splendore, lucis copiâ:
Ab Angelo consolari
Meruit, atque velari
  Cyclade auro contextâ.[4]

Illic Virgo ne tangatur
Impudicus suffocatur:
Pro quo Agnes dum precatur
  Reviviscit juvenis.
Per quem Christus dum laudatur,
Plebs huic furens indignatur:
Agnen magam protestatur,
  Tradens hanc[5] incendiis.

---

[3] Sic quoque de S. Eulaliâ Prudentius:
Crinis odorus et in jugulos
Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusque lateret honos,
Tegmine verticis opposito.

[4] 'Induit me,' inquit sanctissima Martyr, 'cyclade auro contextâ.'

[5] Melius dixisset, *Tradendam.*

Sed ignis obstupens cedit,
Nec Agnam[6] nec lanam lædit,
Ejus roris et pudoris
  Non ferens potentiam.
Cujus guttur ensi[7] cedit
Vitaque morti succedit;
Ecce videt quod cupivit[8]
  Per Sponsi præsentiam.

Ergo postquam triumphabat[9]
Virgo Martyr sic intrabat
  Sui Sponsi thalamum:
Apud quem nunc intercedat
Ut nobis cæli concedat
  Intrare palatium. Amen.[10]

---

[6] Liber. *Et Agnem: nec flamma lædit.* Al. *Nec Agnem nec lanam lædit.* Adelphius: Ignis non lædit virginem nec indumentum ejus. Levi mutatione, *Agnam* dedi. Tum *lana* optime dicitur; quod verbum, sine hâc levi paronomasiâ, satis durum est.

[7] Mag. *ensis.*

[8] Mag. *concupivit.*

[9] Ex correctione dedi. Libri: *sic triumphat Virgo Martyr gaudens intrat* &c.

[10] Hanc sequentiam inter illas quas narrativas vocare possumus secundum meo judicio locum occupat, illi cedens soli *Vox sonora nostri chori,* quæ lxxxviij. nostræ est collectionis. Quæ tamen vix versum habet, cum tertio istius prosæ versu comparandum.

XLIV.

IN CONVERSIONE D. PAULI.[1]

E MISSALI SARISBURIENSI.

SOLEMNITAS Sancti Pauli devote est recolenda, *a*
c Quem Dominus tantâ ditavit gratiâ
a Ut doctor gentium ab omni vocaretur Ecclesiâ.
a Agnus de lupo: de persecutore Evangelista.
b Mutata sunt opera: mutatur et onoma: Paulus nominatur, qui Saulus ante dictus fuerat.
b Instigatus furiâ dirum virus efflabat: strage sævissimâ membra Christi sæviens torquebat.
Lux ætherea quem circumfulgens visu privat,
c Spiritualem sed ei visum donat:
d Colaphizat eum, ne superbiat:
d Sternit eum, sed mentem relevat:
e Dejectum increpat,
e Increpans emendat:
Fidei doctrinam commendat,
f Defensorem ecclesiæ ordinat
f Impugnator qui prius extiterat.

---

[1] Sequentia, magis pondere verborum, quam virtute poeticâ, commendanda.

e Secreta mystica
e Credenti revelat
i Quæ homini loqui non licebat;
g Prius synagoga quem educaverat,
g Postmodum lætatur Mater Ecclesia.
h Mysteria
h Quæ noverat
l Per totum iens orbem prædicat.
c Venit Romam: Deum unum annunciat.
c Nero resistit, quod colebat idola.
l Morte dirâ
l Illum necat.
m Mundo exemptum[2] mittit ad astra.
f Quo nos Deus miserando perducat
m Adjutos prece Pauli sanctâ. Alleluia.

---

[2] Ed. 1555 *exemplum*.

XLV.

IN CONVERSIONE D. PAULI.

SEQUENTIA PETRI ABAELARDI.

TUBA Domini, Paule, maxima,
De cælestibus dans tonitrua,
Hostes dissipans, cives aggrega.

Doctor gentium es præcipuus,
Vas in poculum factus omnibus,
Sapientiæ plenum haustibus.

Mane Benjamin prædam rapuit,
Escas vespere largas dividit,
Vitæ ferculis mundum reficit.

Ut rhinoceros est indomitus,
Quem ad aratrum ligans Dominus,
Glebas vallium frangit protinus.

Nunc nequitiæ laudat villicum,
Quem prudentiâ dicit præditum,
Ac pro filiis lucis providum.

Perpes gloria Regi perpeti,
Exercituum Christo Principi,
Patri pariter et Spiritui.

XLVI.

IN CONVERSIONE D. PAULI.

E MISSALI ANDEGAVENSI.[1]

CORDE, voce, pulsa cœlos,
Triumphale pange melos,
Gentium Ecclesia!
Paulus, Doctor gentium,
Consummavit stadium,
Triumphans in gloriâ.

Hic Benjamin adolescens,
Lupus rapax, prædâ vescens,
Hostis est fidelium:
Mane lupus, sed ovis vespere,
Post tenebras lucente sidere
Docet Evangelium.

Hic mortis viam arripit,
Quem vitæ via corripit,
Dum Damascum graditur.
Spirat minas; sed jam cedit;
Sed prostratus jam obedit;
Sed jam vinctus ducitur.

[1] Adami de S. Victore sequentia. At, quod v. 5. docet, pro commemoratione beati Apostoli, d. 30 Jun. scripta est, quamvis festo Conversionis, ut principali, jam annexa.

Ad Ananiam mittitur:
Lupus ad ovem trahitur;
Mens resedit effera :[2]
Fontis subit sacramentum:
Mutat virus in pigmentum
Unda salutifera.

Vas sacratum, vas divinum,
Vas, propinans dulce vinum
Doctrinalis gratiæ,
Synagogas circuit,
Christi fidem astruit
Prophetarum serie.

Verbum Crucis protestatur;
Causâ Crucis cruciatur;
Mille modis moritur.
Sed perstat vivax hostia;
Et invictâ constantiâ
Omnis pœna vincitur.

Segregatus[3] docet gentes,
Mundi vincit sapientes
Dei sapientiâ:

---

[2] Liber, *offera.*

[3] Alluditur ad Act. xiii. 2. 'Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.'

Raptus in cœlum tertium,
Videt Patrem et Filium,
In unâ substantiâ.

Roma potens et docta Græcia
Præbent[4] colla, discunt mysteria:
Fides Christi proficit:
Crux triumphat; Nero sævit:
Quo docente fides crevit
Paulum ense conficit.

Sic exutus carnis molem
Paulus videt verum Solem,
Patris Unigenitum:
Lumen videt in lumine;
Cujus vitemus numine
Gehennalem gemitum. Amen.

---

[4] Liber, *præbet, discit.*

XLVII.

IN FESTO S. IGNATII,[1] EP. M.

D. I. FEB.

E MISSALI MAGUNTINO.

IN hoc festo corde præsto
Exultemus, laudes demus
Domino per omnia.
Gens amore, pio more,
Vult laudare, celebrare,
Festiva solemnia.

Non indigne sed benigne
Nunc laudaris et amaris
O Martyr sanctissime:
Ad tortores sæviores
Accessisti cum vicisti
Tormenta fortissime.

Cum Trajani malesani[2]
Deos vanos et prophanos
Judicas tu despici,
In amore ferviore
Christi vere vis manere
Et te pœnis subjici.

---

[1] Prosa inter rudiores deputanda: quam tamen ob miram rhythmi rationem dare volui.

[2] Liber perperam, *mali sani*.

Urit ira tua [dira]
O Trajane inhumane,
  Proprio ex vitio,
Sanctum Christi, cum jussisti
Flagellari, cruciari
  Nimio supplicio.

Hic ligatus, catenatus,
Ductus dure sævo jure
  Romam stricto habitu:
Igne læsus, ferro cæsus,
Fame, siti, tortus; miti
  Te fovente spiritu.

Trucidaris, sed lætaris
In agone, passione
  Christi certans nomine:
Vulneraris, confricaris
Sale spei, dicens, mei[3]
  Miserere, Domine.

Jugulatus, feris datus,
Morti cedis, et obedis
  Christi evangelio:
Christum tutus es secutus:
[4]Passus martem bonam partem
  Acquisisti prælio.

---

[3] Liber *miserere mei.*

[4] Liber, *Passus mortem bonam acquisisti prælio.*

[Jam] signati tui fati
Preciosi, luminosi,
  Dulcis est memoria.
Nos natantes, fluctuantes
In hoc mundo furibundo
  Duc quo gaudes gloriâ. Amen.

XLVIII.

IN PURIFICATIONE B. M. V.

E MISSALI PARISIENSI.[1]

AVE, Mater Jesu Christi,
  Quæ de cælo concepisti,
  Non carnis commercio:
A contactu viri pura
Concepisti, paritura
  Gaudium cum gaudio.

Peperisti medicinam,
Non carnalem, sed divinam
  Pereunti sæculo;
Totus erat in languore,
Totus mundus in dolore,
  Totus in periculo.

---

[1] E quo tamen eam non desumpsi, qui in Parnasso Mariano solum viderim.

Mundi languor, error ejus,
Quo dolore nihil pejus
  Nihil tam pestiferum:
Hostis totum possidebat,
Quia totum diffluebat
  Per abrupta scelerum.

Nondum semen venerat,
Quod nobis promiserat
  Deus ab initio:
Semen ex muliere,
Sine carnis opere,
  Sine matris vitio.
Mulier eligitur,
Cujus serpens nititur
  Pungere calcaneum:
Sed fortis et sapiens,
Hosti non consentiens
  Præcavit aculeum.

Caput anguis hæc contrivit,
Cujus carni cöunivit
  Se Majestas Filii:
Sexus ante fragilis,
Sexus seductibilis,
  Vires frangit impii.

Ave, Virgo gloriosa,
Plus obryzo pretiosa,

Fragrans super lilia:
Tibi cedit laus herbarum,
Florum decor et gemmarum,
Libanique gloria.

O Maria, maris stella,
Pro conservis[2] interpella
Jugi prece Filium:
Quia jugis est assultus,
Jugis noster est singultus,
Et juge suspirium.

Te preces, te suspiria,
Te nostri tangant gemitus:
Tu virtutis potentiâ
Nequam refrena spiritus.
Ne carnis nos lubricitas
Resolvat hic in vitia:
Nec mundi fallat vanitas,
Christi juvante gratiâ. Amen.

---

[2] Vix, credo, in sequentiis ejusdem ævi hoc titulo B. V. alias appellatam inveneris.

XLIX.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. V. M.

E BREVIARIO REDONENSI.[1]

LUX advenit veneranda,
Lux in choris jubilanda
Luminosis[2] cordibus:
Hujus læta lux diei
Festum refert Matris Dei,
Dedicandum laudibus.

Vox exultet modulata;
Mens resultet medullata;
Ne sit laus inutilis;
Sic laus Deo decantetur,
Ut in eo collaudetur
Mater ejus nobilis.

Gloriosa dignitate;
Viscerosa pietate;
Compunctiva nomine:
Cum honore matronali,
Cum pudore virginali,
Nitet cæli cardine.

---

[1] Et hæc sequentia Adamum habet auctorem.

[2] Plane ad lumina in ecclesiis circumvehi solita, et candelarum benedictionem, alluditur.

Rubus quondam exardebat,
Et hunc ardor non urebat,
  Nec virorem nocuit:
Sic ardore spiritali,
Non a tactu conjugali,
  Virgo Deum genuit.

Hæc est ille fons signatus;
Hortus clausus, fœcundatus,
  Virtutum seminibus:
Hæc est illa porta clausa,
Quam latente Deus causâ
  Clauserat hominibus.

Hæc est vellus tractans rorem;
Plenum ager dans odorem
  Cunctis terræ finibus:
Hæc est virga ferens florem,
Terra suum salvatorem
  Germinans fidelibus.

Hæc est dicta per exemplum,
Mons, castellum, aula, templum,
  Thalamus et civitas:
Sic eidem aliorum
Assignetur electorum
  Nominis sublimitas.

Cujus preces, vitia,
Cujus nomen, tristia.

Cujus odor, lilia,
Cujus vincunt labia
  Favum in dulcedine:
Super vinum sapida,
Super nivem candida,
Super rosam roscida,
Super lunam lucida
  Veri solis lumine.

Imperatrix supernorum,
Superatrix infernorum,
Eligenda via cæli,
Retinenda spe fideli,
Separatos a te longe,
Revocatos ad te junge
  Tuorum allegio:
Mater bona quam rogamus,
Nobis dona quod optamus:
Nec sic spernas peccatores,
Ut non cernas peccatores:[3]
Reos sibi diffidentes,
Tuos tibi confidentes,
  Tuo siste Filio. Amen.

---

[3] Forsan *petitores* dedit poeta.

L.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. V. M.

E MISSALI VETERI ROMANO.[1]

ALMA Virgo Christum Regem
Enixa secundum legem,
Purgari non renuit;
Non astricta paret legi,
Circumciso Christo Regi,
Conformari voluit.

Verus hodie Rex Salem,
In templo Hierusalem
A parente sistitur,
Par turturum sive bini
Pulli pro quo columbini
Dati sunt ut legitur.

Senex verum videns lumen,
Susceptum in ulnis Numen,
Benedicens jubilat:
Devote psallentes ei,
Salvet salutare Dei,
Quod ubique rutilat. Amen.

---

[1] Ex Parnasso Mariano.

LI.

IN FESTO SANCTÆ DOROTHEÆ, V. M.

(D. VI. FEB.)

EX MISSALI TRAJECTENSI.

HORTUM Regis gloriæ
Celebris memoriæ
Es ingressa Dorothea:
Bene tecum agitur:
Jesus tibi loquitur;
Veni, veni, sponsa mea.

Ei fidem conservasti
Cüi sponsam te probasti
Virginali corpore:
Amor Christi te allexit,
Ad cælestia provexit
Eternali tempore.

Tempus tetrum[1] ut amantis,
In agone decertantis
Demonstratur, si cernatur
Dorothea nobilis:

---

[1] MS. nec cum sensu nec cum metro convenienter, *te tuum.* Si *tetrum* recte se habet, eo sensu capiatur, ut significet,—Temporis pœnis atrocissimi, et quod ab amante solâ ferri posset, exemplum habemus, si, &c.

Ad tribunal ducebaris,
Sed nec minis terrebaris;
Sponso mundo, rubicundo,[2]
  Permanens immobilis.

Diatessaron es digna,
Justa, prudens, et benigna
  Virgo fortis viribus:
O quam fortiter vicisti,
Memor Sponsi tui Christi,
  Florida virtutibus!

Rosas tres et poma tria
Impetrasti mox in Viâ,
Quæ misisti, ut dixisti,
  Dubio Scholastico:
Ob hoc ille admiratus,
Et se credere testatus,
Captivatur, decollatur,
  Signo tam mirifico.

Unde prius multa passus,
Tormentatus et non lassus,
Sed invictus est addictus
  Ungulis atrociter.

---

[2] Cant. v. 10. 'Dilectus meus candidus et rubicundus electus ex millibus.'

Tu,[3] Beata, præcessisti:
Mirabilia gessisti;
Nam in pœnâ, ut amœnâ,
Stabas immobiliter.

En! te homo decollavit,
Atque Deus coronavit
Angelorum gloriâ.
Apud quem nunc intercede,
Ne sint mentes nostræ fœdæ
Peccatorum scoriâ. Amen.

LII.

IN FESTO S. CUNEGUNDIS.[1]

D. III. MART.

E MISSALI SALZBURGENSI.

JUBILEMUS Deo Trino,
Qui jam fine vespertino
Visitavit sæculum:
Nos e Throno visitavit,
Mundi throno dum locavit
Virginale speculum.

---

[3] MS. *Tunc*, quod ferri potest.

[1] Editio Miss. Salzburgensis, quâ usi sumus, anni est 1515, impressa Venetiis, per Petrum Liechenstein. Ea sequentiam

Vis naturæ subjugatur,
Dum Regina conjugatur
  Virgo Regi Virgini :[2]
Virgo manet hæc et ille:
Nam carnales sunt scintillæ
  Clausæ manu Domini.

Flamma carnis est sopita:
Fama tamen est mentita
  Fictâ stupri[3] fabulâ:
Sed cor flammæ non accendunt:
Ergo pedes non offendunt
  Vomerum piacula.

Fit purgata famæ nota:
Virgo sancta solvit vota
  Templum Deo fabricans.
Rachel tandem fit ex Lyâ,
Et ex Marthâ fit Maria,
  Se cum mundo abdicans.

---

in die S. Cunegundis non habet, sęd tractum: quippe qui infra Septuagesimam necesse est cadat. At Marcus Hansizius in Germaniâ suâ Sacrâ, tom. ii. p. 1031. prosam sequentem, quam longe pulcherrimam appellat, in Edit. 1519, exstare testatur.

[2] Liber, imperite, *Virginum.*

[3] Forsitan dedit poeta *stuprum.*

Throno demum summi cœli
Huic Mariæ seu Racheli
  Thronus suus ponitur:
Ibi procul a procellâ,
Sponsum sponsa, solem stella,
  Agnum agna[4] sequitur.

Super cœlos exaltatur:
Terris tandem delegatur:
Ut in terris agnoscatur
  Virgo plena gratiâ:
Ista fidem signa plura
Mirâ probat conjecturâ:
Locus non est a naturâ,
  Sed est a potentiâ.

Cæcis visu destitutis,
Claudis gressu, voce mutis,
Medicinam fert salutis
  Virginale lilium;
Surdis natis dat auditum:
Pedum solvit compeditum:
Cunctis morbis expeditum
  Porrigit auxilium.

O Regina, de sentinâ,
De ruinâ, de pruinâ

---

[4] Liber, sine sensu idoneo, *Agnus agnum.*

Criminum nos erue :
De profundis ex his undis
Cunegundis nos jucundis
Atriis constitue. Amen.

LIII.

IN FESTO S. MARIÆ EGYPTIACÆ.

(D. IX. APRILIS.)

E MISSALI LEODIENSI.

EX Egypto Pharaonis
In amplexu[1] Salomonis
Nostri clausit filia :
Ex abjectâ fit electa,
Ex rugosâ fit formosa,
Ex lebete phiala.[2]

Stella maris hanc illuxit,
Ad dilectum quam conduxit,
Pacis nectens fœdera :
Matre Dei mediante,
Peccatrici Christo dante,
Sunt dimissa scelera.

---

[1] Hoc corrupte legitur. Forsitan *In amplexum Salomonis, Nostra venit filia.*

[2] Ita S. Odo, de S. Mariâ Magd.: 'Post fluxæ carnis scandala, Fit ex lebete phiala.'

Vitam ducens hanc carnalem
Pervenit in Hierusalem,
  Nuptura pacifico:
Sic excluso adultero
Maritatur Sponso vero
  Ornatu mirifico.

Dei templum introire
Dum laborat, mox redire
  Necdum digna cogitur:
Ad cor suum revertitur,
Fletu culpa submergitur,
  Fletu culpa tegitur.

Locus desertus quæritur,
Leviathan conteritur,
  Mundus, caro, vincitur:
Domus Patris postponitur,[3]
Vultus mentis componitur,
  Decor carnis spernitur.

Lætare filia Thanis
Tuis ornata tympanis;
  Lauda quondam sterilis.
Laude plaude casta munda,
Virtutum prole fæcunda:
  Vitis meri fertilis.

---

[3] Forsan *præponitur*.

Te dilexit noster risus:[4]
Umbilicus est præcisus[5]
  Carnis continentiâ:
Aquis lotam, pulchram totam,
Te salivit, te condivit
  Sponsi sapientia.

Septem pannis involuta,
Intus tota delibuta
  Oleo lætitiæ:
Cocco rubens caritatis,[6]
Cincta bysso castitatis,
  Zonâ pudicitiæ.

Huic jacinto calcearis,
Dum superna contemplaris
  Mutatis affectibus:
Vestiris discoloribus:
Cubile vernat floribus:
  Fragrat aromatibus.

---

[4] Id est, *Isaac* verus, sc. D. N. Adamum imitatur poeta: 'Puer, nostri forma risus, Pro quo vervex est occisus, Vitæ signat gaudium.'

[5] Alluditur ad Ezek. xvj. 4: 'Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aquâ non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis.'

[6] Ezek. xvj. 10: 'Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino et cinxi te bysso, et indui te subtilibus.'

O Maria gaude quia
Decoravit et amavit
  Sic te Christi gratia:
Memor semper peccatorum,
Et cunctorum populorum
  Plaude nunc in gloriâ. Amen.

LIV.

IN INVENTIONE S. CRUCIS.

E MISSALI PRAGENSI.

QUADRIFORME Crucis signum,
  Triumphali plausu dignum,
  Prosequamur laudibus:
Vota Deo persolvamus,
Dulce lignum opponamus
  Inimici fraudibus.

In hoc ligno gloriari
Nos oportet, et mirari
  Ejus circumstantias:
Crucis enim quadratura
Sacri cultus sub figurâ
  Gerit observantias.

Quo sub ritu forma prima
Charitatis expressiva

Latitudo ponitur:
Consequenter longitudo,
Quâ signatur sanctitudo
Perseverans, colitur.

Pars sublimis representat
Quod in cœlis nobis restat
Certa repromissio:
In profundo quod non vides,
Ne præsumat tanta fides;
Cessit inquisitio.

Ista Crucis Sacramenta[1]
Comprehendit mens intenta,
Vitæ propugnacula:
Hujus Ligni per virtutem
Nos perducat ad salutem
Agnus sine maculâ. Amen.

---

[1] Sic quoque Adamus:

'Non hæc nova Sacramenta:
Nec recenter hæc inventa
Crucis est religio.'

LV.

IN VISITATIONE B. V. M.

E MISSALI SARISBURIENSI.

CELEBREMUS in hâc die
Festum domus Zachariæ
Laudibus lætitiæ,
Contemplemur ibi gestum:
Ut de gesto fiat festum,
Jam domus Ecclesiæ.

Thema jam solemnitatis,
Copiosæ caritatis,
Gratia recolitur.
Quâ Elizabeth beata,
Senectute fœcundata,
Suscepisse sentitur.

Orbis totus gratuletur:
Toto corde veneretur[1]
Dulcis visitatio.
Compassivi cordis benignitas,
Excessivi status humilitas,
Sacra consolatio.

---

[1] Aut *veneretur* passive capiendum est, aut *celebretur*, vel simile quid, legendum.

In introitu Mariæ,
Plenam matrem prophetiæ
  Spiritus illuminat:
Confortata, genitum
Roborata, debitum
  Felix parens terminat.

Ergo Festi hanc auctricem,
Lauda Dei genetricem,
  Syon ex præcordiis.
Quidquid dicas de benignâ,
Minus est a laude dignâ,
  Debitis præconiis.

Visitatrix in montanis,
Visitatrix in his[2] planis,
  Sis matris Ecclesiæ:
Medicina Christiana,[3]
Quod non valet vis humana
  Fiat dono gratiæ.

---

[2] Ecclesiæ situm Sarisburiensis manifeste innuit poeta.

[3] Adamum de S. Cruce imitatur:

'Medicina Christiana
Serva sanos, ægros sana:
Quod non valet vis humana
  Tuo fiat numine.'

Benedicta mulierum,
Sidus maris, lumen verum,
Mœstum consolare clerum,
  Populum irradia.
Benedicto ventris tui
Fructu dona nobis frui:
Sicque simus semper sui,
  In perenni gloriâ. Amen.

LVI.

IN FESTO VISITATIONIS.

E MISSALI NOVIOMENSI.[1]

DEUM Jesu Christi Patrem,
  Et Mariam ejus matrem,
  Læta nunc Ecclesia
Festâ laude veneratur:
Dum Joannis matri datur
  Mariæ præsentia.

Ab excelso Trinitatis,
Verba defert novitatis
  Paranymphus Gabriel:

---

[1] Ex Parnasso Mariano.

Verbo paret veritatis,
Virgo, jubar claritatis,
Concipit Emmanuel.

Grandis rem miraculi,
Nobilis[2] spectaculi,
Videt[3] declarari,
Cælis qui sublimior,
Inde fit humilior,
Vadit famulari.

Prægnans lege non humanâ,
Virgo surgens in montana
Festinanter abiit:
Et in domum Zachariæ
Præcursoris matrem pie
Salutans introiit.

Dum Maria salutare
Verbum dedit, exultare
Cœpit infans nimium:
Lumen adhuc occultatum,
Reverenter incarnatum,
Verbum Patris omnium.

O quam pium fert amorem,
Omnem superans decorem,
Virginis præsentia!

---

[2] Liber, *nobilisque.*
[3] Liber, *video.*

Sese matres amplexantur:
Per salutes revelantur
  Salutis mysteria.

Ex medullis animæ
Canticum lætitiæ
  Cecinit Maria:
Exultavit spiritus:
Exaltatur Dominus,
  Dulci melodiâ.

Laudes ergo[4] mirificæ
Mariæ permagnificæ
  Vox amœna:
Psallat ejus præconia,
Laudans petat suffragia,
  Plebs egena.

Et tu cæli regione,
Virgo Prolis Mater bonæ,
  Clementer expostula,
In conspectu summi Regis,
Professores suæ legis
  Regnare per sæcula. Amen.

---

[4] Forsitan *promat.*

LVII.

IN VISITATIONE B. M. VIRGINIS.

E MISSALI ARGENTINENSI.[1]

AVE, verbi Dei parens,
Virginum humilitas:
Ave, omni nævo carens,
Humilis virginitas.

Gaude, quæ sic gravidaris
Nec gravaris, Filio:
Gaude, quæ sic oneraris
Onere gratissimo.

Salve, Jesse stirpe orta,
Virgula frugifera;
Salve, clausa Templi porta,
Soli Deo pervia.

Plaude, vellus Gedeonis,
Rore madens pneumatis:
Plaude pellis Salomonis,
Pulchrior præ ceteris.

---

[1] Cum peculiari ritu bis in anno celebraret Festum hocce Ecclesia Maguntina, sequentia hæc in eâ Ecclesiâ priori Visitationis Festo erat propria.

Vale, Jacob micans stella,
Et illustrans maria:
Vale, consignata cella,
Rubus in vi flammeâ.

Euge, sole quæ amicta,
Solem gignis stellula:
Euge, quæ es[2] præelecta,
Scala cæli fulgida.

Pange, Aurora consurgens
Luce novi sideris:
Pange arca, trina ferens
Charismata miseris.

Eja, magnificet tua
Jesum Christum anima;
Eja, tecum ut laudemus,
Ora dulcis Maria. Amen.

---

[2] Dedi *quæ es* pro *sis,* quod habet Liber.

LVIII.

INFRA OCTAVAM VISITATIONIS.

E MISSALI PRAGENSI.

DECET hujus cunctis horis
Festi voce dulcioris
Facere memoriam:
Nec indignum sed benignum
Voce, corde, dare signum
In Mariæ gloriam.

Innovemus mente sanâ
Quod mater petit montana
Salutare gravidam:
Paranympho comitata,
Fuerat quo salutata
Senem mulcet pavidam.

Rem miratur: sed matrona,—
Unde, inquit, tanta dona
Mihi dantur hodie?
Ad me quod veniret illa
Mater Dei et ancilla
Sceptrum tenens gloriæ.

Gaudet clausus suâ matre:
Sentit Natum sine Patre:
  Agnum Dei prædicat:
Erit magnus infans rite:
Regem cœli, Agnum vitæ
  Clausus plausu indicat.

Nequit senex immorari;
Rapit manus manu pari,
  Et nimis celeriter:
Exultabat modo miro:
Circumplexat hanc in gyro
  Salutando dulciter.

Clamat senex voce clarâ:
Amplexata tot præclara
Insignita Deo cara
  Voce pandit uberi.
Salve inter mulieres:
Te respexit cœli hæres;
Meruisti quod videres
  Casti fructum uteri.

Illa sed repudiavit:
Laudem Deo assignavit:
Quando supplex exoravit
  Detexens Magnificat.

Clemens Virgo atque pia,
Tu nos fove, O Maria:
Partus namque tuus nos[1] quia
  Solas spes vivificat. Amen.

LIX.

IN FESTO S. ANNÆ.

E MISSALI WOLFENBÜTTELENSI MS.

NARDUS spirat in odorem,
  Et spinetum profert florem,
Sed flos fructus dat honorem
  Regis in accubitu:
Salus redit ex Judæâ
Quâ sanatur Idumæa:
Ex Egypto fert trophæa
  Israel in exitu.

Holofernem Judith stravit,
Anna quando generavit
Natam, quæ se præparavit
  Deo habitaculum.

---

[1] Manifeste latet ulcus. Forsan legendum:
Partus namque tui quia Sola spes vivificat.'

Cœli cohors Annam laudet,
Nam in cœlo Anna gaudet,
Et rogare bene audet
  Natam et Nepotulum.

Non avertit aurem nata;
Sed et Matris ad precata
Jesus dona profert grata,
  Ut de nobis cogitet;
Ergo, Anna, huc accede:
Roga natam, nec recede
Donec Nepos nos a sede
  Suâ sanctâ visitet. Amen.

LX.

IN FESTO S. ANNÆ.

E MISSALI ARGENTINENSI.

EXULTET Ecclesia
  Pro assumptâ filiâ
  Regis ad palatium:
Annæ sublimatio
Nostra exultatio
  Nostrum est convivium.
Regni tenet solium,
Diadema regium,
  Per Mariæ Filium.

Præsentatur hodie
Anna Regi gloriæ,
  Cum hymnis et laudibus.
Hæc Mariam peperit,
Per quam Christus aperit
  Sinum pœnitentibus.
Felix Anna, ex te manna
Mundo datur, quo pascatur
  In deserto populus.
Hoc dulcore, hoc sapore,
Sustentatur, procreatur
  Ex mannâ vermiculus.
Vermem istum dico Christum:[1]
Nobis datum, exaltatum
  In crucis patibulo.
Fit unguentum vulneratis,
Condimentum tribulatis,
  Salvat a periculo.
Manna cœli, manna terræ,
Cura, stude, nos transferre
Ad lactis, mellis patriam,
Ad Paradisi curiam.

---

[1] Alluditur, et forsan nimis audacter, ad Exod. xvi. 20. Simili modo Hymnus sequioris ævi:

Festiva Regis purpura,
  Quam rudis manus finxit,
Calonis est lacernula:
  Non cocci vermis tinxit.
Qui dixit, Ego Vermis sum,
Cruore tinxit coccinum.

Mater Dei Genetricis,
Mater nostræ salvatricis,[2]
Per te præsens familia
Tecum regnet in gloriâ.
Nos commenda Trinitati;
Fac ut Verbi Incarnati
Servis suis atque tuis
  Detur benedictio:
Fac ut nostra symphonia
Et in Regno et in Viâ
Sit Maria, melodia,
  Carmen, jubilatio:
  Laus Mariæ Filio. Amen.

LXI.

IN FESTO S. MARTHÆ.

(D. XXIX. JUL.)

E MISSALI XANCTONENSI.

FULGET dies hæc præclara,
  In quâ Martha Deo cara
  Triumphat in gloriâ:
Mole carnis est erepta
Angelosque est adepta
  Polorum in patriâ.

---

[2] Vide quæ in Præf. de his et similibus annotavimus.

Gaudent chori Angelorum,
Atque turmæ Beatorum,
Et phalanges populorum,
Polus, tellus, maria:
Nam die hâc coronatur,
Stolâ Vitæ adornatur,
Ante Regem decoratur
Martha poli curiâ.

Hæc est Martha quæ cibavit
Regem cœli et potavit,
Diligenter[1] focillavit
Sacrâ lare propriâ:
Christum pavit, mundi decus,
Quo pascuntur homo, pecus,
Ales, piscis, æger, cæcus,
Et poli familia.

Regem cœlis celsiorem,
Orco et profundiorem,
Ponto, terrâ, ampliorem
Excepit sub tegmine:
Hunc quidquid concipi polo
Comprehendi aut in solo,
Quique cuncta tenet palmo
Sola clausit fœmina.

---

[1] Liber, *diligentem.*

Marthæ erat soror pia,
Nuncupatur quæ Maria,
Quibus nobis patet via
  Ad eterna gaudia.
Stans ad pedes Salvatoris
Hæc Maria lege moris
Ejus audit verba oris
  Et Martha parat prandia.

Martha nobis[2] corporalem,
Et Maria spiritalem
Monstrat vitam, quâ ad Patrem
  Incedamus Messiæ:
Qui egenos nutrierunt,
Et propria qui liquerunt,
Martha, Maria fuerunt
  In sedibus gloriæ.

Prece Marthæ vis Domini
  Resuscitavit Lazarum;
Reddendo[3] flamen corpori
  Expoliavit Tartarum.
Torrens antro hic Lazarus,
Quatriduanus fœtidus,

---

[2] Sic sæpissime veteres:
'Martha fuit miseris: fuit ex pietate Maria:
Pars obiit Marthæ; superest pars magna Mariæ.'

[3] Liber, *Reddendus*.

Molem signat peccaminum
Quadrifidam peccantium.
O quanta mysteria!
O motæ miseria!
Prava cogitatio,
Inanis locutio,
Mala operatio,
Sedula transgressio:
Hæc est mola quadrifida,
Quam scindit pœnitentia.
Suscita nos a vitiis
Christe, qui Marthæ meritis
Resuscitasti fœtidum
A binâ nece Lazarum.
O Martha, vera hospita,
Pro nobis Christum rogita
Quo vivamus in gratiâ,
In perenni lætitiâ.
Amēn dicant omnia.

LXII.

IN FESTO S. MARTHÆ CHRISTI HOSPITÆ.

E MISSALI SALZBURGENSI.

MUNDI decor, mundi forma,
Quâ vivendi datur norma
In vitâ solicitâ,
Ad hæc festa tam sacrata
Nos invitat Christo grata,
Justa Dei Hospita.

Regem regum quem portavit
Virgo Mater, quem lactavit
Propriis uberibus,
Totis hunc humanitatis
Recolendæ pietatis
Excepit visceribus.

Hujus Deo servientis,
Hujus mentis tam ferventis
Circa ministerium,
Vim[1] amoris honoremus,
Jesu domus præparemus
Et cordis hospitium.

---

[1] Liber, satis ineleganter, *amoris vim.*

In laboris actione
Mens in contemplatione
  Requiescat dulciter:
Ut administrans sedentem
Satagensque ministrantem
  Adjuvet fideliter.

Sic sit amor cum labore,
Quod se labor cum amore
  Mutuo respiciant,
Tanquam soror cum sorore,
Hic ne major cum minore
  In Viâ deficiant.

Ad superna dum suspirat,
Illa frequens hic perquirat
  Quæ sint necessaria.
Dum laudatur pars sedentis,
Num ad opus satagentis
  Reprobatur alia?

Ejus adeo accepta
Cura Deo, ut adepta
  Sit felici munere,
Ipsius se sepulturæ
Hospitali quodam jure
  Quod dignetur jungere.

Hospes suâ in hospitâ
Tam in morte quam in vitâ
Præsens esse voluit:
Ostenditque quanta[2] talis
Virtus exstat hospitalis,
Quæ quantum promeruit!

Summi Regis bonitatem,
Jesu Christi pietatem,
Curemus expetere:
Post præsentis finem vitæ
Dulce, mite, quo VENITE
Nobis velit dicere.

Invocemus sanctitatem,
Imploremus charitatem
Charæ Christi Hospitæ:
Tandem cursu nos profecto
Inoffensos[3] pede recto
Expeditæ semitæ,
Ad se ducat et perducat
Marthâ duce, verâ luce
Luminoso limite. Amen.

---

[2] Liber, *quanta qualis talis.*
[3] Ita dedi pro *inoffenso.*

LXIII.

IN FESTO S. OLAVI.

D. XXIX. JUL.

E MISSALI NIDROSIENSI.

LUX illuxit lætabunda,
Lux illustris, lux jucunda,
Lux digna præconio:
In solemne gaudium
Prorumpat fidelium
Sincera devotio.

Gloriosus hodie
Christi Martyr gloriæ
Sublimatur solio:
Pro eternis brevia
Commutavit gaudia
Felici commercio.

Insignis martyris insignis gloria
Dulcis est gaudii dulcis materia;
Insiste canticis, mater Ecclesia,
Celesti jubilo tange celestia.

Inter curas absolutus
Rex Olavus constitutus
In regni fastigio,

Suspirabat in eterna,
Pervolabat in superna,
  Mentis desiderio.

Christi tractus in odore,
Christi languens in amore,
Vires sumens ex languore,
Corde, votis, factis, ore,
  Quem amabat coluit.
Hic nec minis nec timore
Mortis fractus, nec labore,
Idolorum ab errore
Multo quidem cum sudore
  Gentem suam eruit.

Tulit ab impiâ gente ludibria,
Minas et odia, pœnas, exilia;
  Sed mente stabili
Mirâ constantiâ devicit omnia;
Felix felicia migrans ad gaudia
  Cum palmâ nobili.

Ante diem passionis
Ad instantis vim agonis
Animatus visionis
  Divinæ solatio,
Quod amabat prægustavit;
Prægustatum plus optavit:
Plus optatum vindicavit
  Illustri Martyrio.

Rex et Martyr triumphalis,
Tutor noster specialis,
Tua proles spiritalis
Sit ab hujus mundi malis,
  Te tuente, libera:
Quos infestat vis carnalis,
Corruptela generalis,
Pestis potens et letalis,
Nos sub tuis tutos alis
  Tua salvet dextera. Amen

LXIV.

DE S. OLAVO.

(IN FERIIS QUARTIS.)

E MISSALI NIDROSIENSI.

POSTQUAM calix Babylonis
  Illudentis fel draconis
  Ebullivit penitus,
Olla fervit aquilonis
Oleo devotionis
  Per Olavum cœlitus.

Fert olivæ florem avis,
Requiescit Noe navis
  Montibus Armeniæ:

Cum Olavo flat süavis
Spirans nardus, cœli clavis
  Applicat Norvegiæ.

Rex Olave, qui regium
Nomen habens egregium
  Unctionis;
Cujus nomen est oleum,
Effusum per aculeum
  Passionis;

Rex Olave nos exaudi,
Assistentes tuæ laudi
  Omni quartâ feriâ:
Quia tui tunc agonis
Et felicis passionis
  Colitur memoria.

Christi Martyr hanc cohortem,
Pro quâ subiisti mortem,
  Junge cœli civibus:
Delictorum nos a fæce
Tuâ purga sanctâ prece,
  Cunctis et a sordibus. Amen.

LXV.

IN FESTO S. PETRI AD VINCULA.

E BREVIARIO TORNACENSI.

GAUDE, Roma, caput mundi,
Primus Pastor in secundi
Laudetur victoriâ:
Totus orbis hilarescat,
Et virtutis ardor crescat
Ex Petri memoriâ.

Petrus sacri fax amoris,
Lux doctrinæ, sal dulcoris,
Petrus mons justitiæ:
Petrus fons est salvatoris,
Lignum fructus et odoris,
Lignum carens carie.

Et quid Petro dices dignum?
Nullum Christi videns signum
Primo sub admonitu
Fugit rete, fugit ratem,
Necdum plene veritatem
Contemplatus spiritu.

Auro carens et argento
  Coruscat miraculis:
A nervorum sub momento
  Claudum solvit vinculis:
Paralysi[1] dissolutus
  Eneas erigitur:
Petrum præsens Dei nutus[2]
  Ad votum persequitur.

Petrus vitam dat Tabithæ,
Juvenemque[3] reddit vitæ
  Potestate liberâ:
Pede premit fluctus maris:
Et nutantem salutaris
  Petrum regit dextera.

Factâ Christi quæstione,
Brevi claudit sub sermone
  Fidem necessariam:
Hunc[4] Personam dicit unam;
Sed nec tacet opportunam
  Naturæ distantiam.

Quod negando ter peccavit,
Simplex amor expiavit,

---

[1] Narbon. inepte, *Paradisi*. [2] Clichtov. *Virtus*.

[3] Clichtov.: 'Ex S. Scripturâ non habetur, quantum meminerim: sed ex aliquâ aliâ historiâ quæ me latet.' Sed forsitan vox *juvenem* ad Tabitham referenda est.

[4] Narbon. *Hanc*.

Et trina confessio:
Angelus a carcere
Petrum solvit libere
Destinatum gladio.

Umbrâ sanat hic languentes:
Sanat membra, sanat mentes:
Morbos reddit impotentes
Medici potentia:
Petrum Simon Magus odit :
Magum Simon Petrus prodit:
Plebem monet et custodit
A Magi versutiâ.

Hic, a petrâ Petrus[5] dictus,
In conflictu stat invictus
Licet jugis sit conflictus
Et gravis congressio;
Dum volare Magus quærit
Totus ruens totus perit,
Quem divina digne ferit
Et condemnat ultio.

Nero frendet furibundus:[6]
Nero plangit impium:
Nero, cujus ægre mundus
Ferebat imperium.
Ergo Petro crux paratur
A ministris scelerum:

[5] Narbon. *Christo.* [6] Clichtov. *fremit.*

Crucifigi se testatur
  In hâc Christus[7] iterum.

Petro sunt oves creditæ,
Clavesque Regni traditæ:
Petri præit sententia,
Ligans et solvens omnia.
Pastoris nostri meritis,
  Et prece salutiferâ,
Nos a peccati debitis,
  Eterne Pastor, libera. Amen.

LXVI.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS.

E MISSALI LEODIENSI.

LÆTETUR hodie matris Ecclesiæ sancta devotio:
Anniversaria reduxit gaudia Transfiguratio.

Superna visio in supercilio montis apparuit:
Deus in homine, verum in lumine Lumen resplenduit.

---

[7] Liber, *Petrus.* Sed sine dubio respexit poeta ad notissimam historiam de Christo, Romam ineunte, quærentique Apostolo, 'Domine, quo vadis?' respondente, 'Vado, ut in Româ iterum crucifigar.' [Ita quoque Narbon. et Clichtov.] Sequentia Adami de S. Victore est.

Adest præ oculis tribus discipulis Verbi divinitas;
Illustrat sæcula, remotâ nebulâ, solaris claritas.

Quorum in gloriâ, quorum præsentiâ, testis assistitur;
Unus a dexterâ, alter ab alterâ parte conspicitur.

Petrus præ gaudio rupto silentio, visis miraculis,
Cum pie desipit, sermonem incipit de tabernaculis.

Cum Petrus loquitur, clara demittitur nubes in medium:
De nubis medio Pater pro Filio dat testimonium.

Ad tam insolitum de nube sonitum cadunt discipuli:
Virtus illabitur: sermo subtrahitur: caligant oculi.

Accessit protinus ad servos Dominus ut eos tangeret:
Statím restituit: silere monuit: donec resurgeret.

Solem justitiæ viderunt hodie mortales oculi;
Splendoris gratia designat gloriam futuri sæculi.

Exit visibilis ille mirabilis sol in splendoribus:
Quem carnis trabea velabat antea nostris obtutibus.

Cujus clementia suâ nos gratiâ sanctis associet:
Ejusque facies, quâ fulget hæc dies,[1] eternum satiet. Amen.

---

[1] Liber *in;* quod metri gratiâ omisi.

LXVII.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

E MISSALI SALZBURGENSI.

SPECIOSUS formâ præ natis hominum Jesus,
Vultum desiderant cujus Angeli deifluum intueri, *a*

a Pro nobis exinanitus, in formâ servi Rex humiliatus,

b Hodie formæ pandit divinæ lucem inaccessam per lucem symbolicam

b In monte transfiguratus celso: verus ipse mons[1] montium excelsior cælo.

c Vultu soli, veste par nivi: qualem soli tres cernebant deividi.[2]

c Caro, sanguis,[3] non revelavit: sed Pater cælestis, cujus vox edixit:

---

[1] Alluditur ad Dan. ii. 35: 'Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit omnem terram.' Ita quoque ad Completorium in Die Pentecostes, Breviar. Sarisburiense: 'Panis, Flos, Vitis, *Mons*, Janua, Petra, Lapisque.' Sequentia quam jamdudum dedimus: 'Tu qui lapis, duc ad montem.'

[2] Ita ex conjecturâ pro *deifici* dedi. [Idque postea in Miss. Ratisbon. inveni.]

[3] Alluditur ad S. Matth. xvi. 17: 'Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.'

d Hic est Natus mihi dilectus, toti mundo audiendus:
d Hunc docentem semper audite; soli omnes obaudite.
e O vere nimium beati, hujus secreti conscii,
e Tu, Petre, Jacobe, Joannes: ex electis electi tres!
f Mirabile secretum est vobis revelatum; quos nubes obumbravit, Pater edocuit.
f Nubes hæc non terrorem, sed gratiæ dat rorem: non fumo subobscura, sed lucivoma.
g O summum[4] gratiæ! vobis condignum, Boanerge!
g Tu, claviger, carne dormis: sed[5] impiger[6] corde.
h In hunc montem conscendite post tres istos, de tribus quique tomis terræ,[7]
h Nunc homo supra hominem exstat Jesus[8] mons mundis corde perspicuus,
i Majestatis in Paternæ regnans celsitudine,
i Ut Möyses et prophetæ cecinere consone.
Tu nos post te, Rex Jesu, trahe. Amen.

---

[4] Ratisbon. *O somnum gratiæ, nobis condignum Boanerie!*

[5] Cant. v. 2. 'Ego dormio, et cor meum vigilat.'

[6] Forsitan post impiger inserendum est *es*: ut metrum constet.

[7] Liber, *thomis.* Eo sensu utitur (vel potius abutitur) poeta verbo, ut pro *partibus* capiatur.

[8] Ratisbon. *Johannes.*

LXVIII.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

E MISSALI TORNACENSI.

DE parente summo natum
Sed a Patre non creatum,
Verbum in principio
Cum Parente Deus unus,
Quod nullius extat munus,
Sed erat ex proprio:

Verbum inquam istud, Deus,
Ne periret homo reus,
Servi formam induit:
Factâ novâ creaturâ,
Sic humana servans jura,
Quod Deum non exuit.

In se duo sic univit,
Digniorem quod vestivit,
Non corrupit, fragilis:
Neque major se minorem
Consumebat: sed honorem
Augebat passibilis.

Vera manet sic utraque,
Non ut vinum mixtum aquæ

Corrupit commixtio:
Sed ut servet in se vera,
Non commixta sed sincera,
Quæ conjungit unio.

Salutare tantæ rei
Documentum, Verbi Dei
Fit Transfiguratio:
In quâ nobis revelatur
Quod humani tegebatur
Corporis sub pallio.

Candor vestis, splendor lucis,
Pro peccato carnem Crucis
Affixam supplicio,
Gloriosam jam effectam
Designabat et evectam
Verbi privilegio.

Atque Christum[1] vox fidelis,
Non de terris sed de cælis,
Dei vocans Filium,
Formâ nostrâ parvitatis,[2]
Obumbratæ Deitatis
Præbet testimonium.

---

[1] Liber, *Christi*.
[2] Liber, *pravitatis*.

In Personâ unâ Christi
Ecce Deum cognovisti,
  Virginis et Filium:
Unam tamen sic concedas,
Quod Naturas duas credas,
  Jus servantes proprium.

Hic est lapis quem[3] rejectum
A Judæis, sed electum
  Nunc in caput anguli,
Deitatis in splendore,
Imo vestis in decore,
  Viderunt discipuli.

A prophetis prædicatum
Cognoverunt transformatum
  Inter animalia:[4]
Quæ Propheta prædicavit,
Verbi Dei cum expavit
  In carne magnalia.

---

[3] Liber, *quæ dejectum*. Respicit poeta carmen Adamianum:
'Reprobatus et abjectus
Lapis iste, nunc electus,
In trophæum stat erectus
  Et in caput anguli.'

[4] Notissimum est, illam Vulgatæ Scripturæ lectionem, 'in medio duorum animalium innotesces,' quam diversissime a scriptoribus medii ævi capi. Hi ad bovem et asinum in stabulo, illi ad latrones in crucibus, isti ad duo Testamenta, retulerunt. Poeta noster ad Moysen et Heliam referre prætulit.

Tuâ frui visione,
Præparari[5] nos coronæ,
Non indignos annue,
Sed hæredes nos ascribas,
In Jordane qui præibas
Nos quondam per Josue. Amen.

LXIX.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS.

E MISSALI[1] TRAJECTENSI.

LAUDES Deo dicat per omnia
Voce jubilâ Mater nostra Ecclesia,
Pro elapsâ cœlitus
Ad nos voce divinitus
Magnificâ gloriâ.
Hic est meus Filius,
In quo mihi sum placidus:
Ipsi semper gloria.
Audientes itaque
Percussi sunt vertice
Ab hâc luce cœlicâ.

---

[5] Liber *præparati.*

[1] Sequentiam sane rudiorem et barbarismis scatentem scripsit vir, theologus potius, quam poeta. Sed ne hæc quidem pio quodam affectu caret.

Dum cadit in facies
Pertimescit acies
  Hæc plebs Apostolica.
Donec eos tetigit
Jesus Christus, et ait
Metu jam deposito[2]
Nulla sit angustia.
Levaverunt oculos
Non videntes aliquos
Præter quem et antea:
Quisquis vidit talia?
Petrus tractat quod affectat:
Ipsi clamat quem cor amat
  Jesum super omnia.
Extat bonum nos hic esse:
Faciamus indefesse
  Tria tabernacula:
Tibi unum, Jesu Domine:
Faciamus iis simile,
  Möysi cum Heliâ
Nos delectat commorari,
Votis semper famulari
  In hâc luce cœlicâ.
Hæc ne mundo intimetis
Rogo gesta quæ videtis
  Donec Filius Hominis

---

[2] Melius quidem scribere poterat, *Formidine depositâ Jam nulla sit augustia.*

Surrexerit a mortuis.
Morte victâ revelentur,
Et a vobis prædicentur,
Hæc quæ vidistis gaudia
De voce Patris cognita.
Deprecemur ergo Christum
Ut et nos ad montem istum
Cito ducat, et ostendat
Quæ sint vera gaudia:
Ut cum Petro commorari,
Et Patribus conregnari,
Trinitatem speculari,
Possimus per sæcula:
Amen dicant omnia.

LXX.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

E MISSALI XANTONENSI.

HÆC est dies summe grata
Dulci Jesu dedicata,
Plurimisque decorata
Divinis miraculis:
Hâc Möyses excitatur,
Et Helyas convocatur,
Ut facto magis credatur,
Cum tribus discipulis.

His in monte congregatis
Lux immensæ claritatis
Miræque süavitatis
  Pariter apparuit:
Hæc a Christo emanavit,
Et in vestes abundavit,
Suos fulgore prostravit,
  Videntes se terruit.

Hæc terrendo non lædebat,
Sed fovendo demulcebat,
Demulcendo suspendebat
  Oculos videntium:
Summe dulcis et jocosa,
Süavis et gratiosa,
In quâ plene gloriosa
  Habuit judicium.

Bonum erat ibi vere,
Bone Petre, permanere:
Sed oportebat implere
  Facta Christum[1] alia:
Hæc claritas singularis
Solum erat exemplaris:
Illiusque expers paris[2]
  Finis erat nescia.

---

[1] Liber, *Christi.*

[2] Forsitan: Illa autem, expers paris,
Finis erit nescia.

Clarâ nube obumbrante,
Patreque testificante,
Filium recommendante,
  Ab eâ vox sonuit :
Hic est Filius dilectus,
Summe pius, summe rectus,
Præ cunctisque præelectus,
  Quo mihi complacuit.

Ipsa, Christe, noluisti
Sciri, sed prohibuisti
Donec post resurrexisti
  A morte cum gloriâ :
Sed quæ lingua tunc tacere
Possit, et mens non gaudere,
Quæ credit et vult videre
  Tot et tanta gaudia ?

Per hæc fides confirmatur:
Spes in altum sublevatur :
Et charitas inflammatur
  Devotis fidelibus :
Mirâ luce majestatis
Auctor ipse pietatis
Faciat nos cum Beatis
  Perfrui in cœlestibus. Amen.

LXXI.

IN FESTO S. AFRÆ.[1]

(D. VII. AUGUST.)

EX MISSALIBUS ARGENTINENSI ET RATISBONENSI.

GRATES Deo et honor sint per sæcula, *a*
Qui in Sanctis suis facit mirabilia. *a*
b Cujus ab antiquis et ab eterno ordinatâ sapientiâ,
c Ovis perdita et misericorditer est inventa,
c Et diligenter domo eversâ, reperta est drachma
c Decima in beatissimâ Dei[2] Martyre Afrâ.
d Hodie cujusdam et vere singularis, imo cœlestis hominis filia
b Acceptâ, sed dissipatâ, naturæ et rationis substantiâ
d Vivendo luxuriose, solemniter revertitur[3] de regione longinquâ.
e Hod*ie* eadem pulcherrima filia, populum suum et domum patris oblita,[4]

---

[1] Præclara sequentia: sed quæ in Missalibus hisce, præsertim Argentinensi, plane desperata, quoad metrum, videtur. Nec mihi plene in eo ordinando satisfacere potui, quamvis ad id faciendum haud parvum laborem collocaverim.

[2] Omittit Argent. [3] Arg. *rediit.*

[4] Alluditur ad Psalmum xlv. 11: 'Audi, filia, et vide; et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum Patris tui.'

e Flammâ Sancti Spiritus initiata, sed igne materiali consumata,[5]

f Auditum[6] cordis ad fidem inclinaverat,[7] sed jam intus prægustando dexteros amplexus viderat,

Quod[8] Rex speciem ejus[9] concupiverat.

c Jam illa Canaanitis[10] sed[11] filia audiverat,

b Quia cœlestis Pater illam ut reverteretur revocaverat.

d Sancto igitur Narcisso illi[12] prædicante, statim ad mensam Patris rediit;

c Sed[13] et civem illum cui male adhæsit, deseruit.

b Et quum centum cados olei domino suo reddere debuit,

f Acceptâ cautione sacramentorum, scripsit sibi quinquaginta, et promeruit esse filia.

g Sic multi in retroactis ætatibus rediere a suis erratibus:

---

[5] Argent. *consumpta.* Sed et metrum, et probabilis barbarismi correctio, me persuasum habent *consumata* (quod Ratisbon.) genuinam esse lectionem.

[6] Ratisb. *aurem.* [7] Arg. *inclinavit.*

[8] Arg. *Quia.*

[9] Cum responsorio, sine causâ, iste careat versus, crediderim post *speciem* hæc verba, *et decorem,* addenda esse. Quo facto, cum proximo versu, *c,* correspondebit iste.

[10] Ratisb. *Sunamitis.* [11] Argent. *et.*

[12] Argent. *illa :* quod forsan recte se habet.

[13] Argent. *sed.* Ratisb. *et.* Quod dedi, melius ejus ævi scriptoribus consentit. Sed et utriusque lectio Missalis ferri potest: quo in casu *cui* dissyllabum erit.

g Sic Maria Magdalena, sic [et rediit[14]] mulier illa
Chananæa:
h Et Petrus, postquam Christum negaverat, rediit:
h Et Paulus, Christi voce prostratus, resipuit:
b Matthæus a telonio ipsius Patris rediit præconio.
b Zacchæum a sycomoro[15] transiens vidit pietatis
oculo.
f Eodem modo Dei gratia post excessus nostros
faciat redire nos ad Christi convivia,
Tuo interventu, o beatissima Dei Martyr Afra!
Amen.

LXXII.

IN FESTO SS. CYRIACI ET SOCIORUM.

(D. VIII. AUG.)

E MISSALI VERDENSI.

DE torrente passionis
Bibens veri Salomonis
Ad reclinatorium,
Christi transiit ad læta,
Triumphali vitâ spretâ,
Per cruoris pretium.

---

[14] Addidi *et rediit,* ut constaret versus.

[15] Argent. *Zacchæus dans dimidium bonorum fraudem reddidit in quadruplum.* Quod satis bene est nisi quod homœoteleuto careat.

Gradus hic purpureus,
Quo volavit roseus
  Cyriaci animus:
Ubi de virtutibus
In virtutes gressibus
  Fit beatis meatus.
Hic est ille Cyriacus
Quem inferni tremit lacus,
  Suis cum tortoribus:
Dum ad unam jussionis
Vocem dux proditionis
  Fugit de corporibus.
Scit hoc Diocletiani
Nata, quam hostis immani
  Solvit de tyrannide:
Filiam regis Persarum
Yobiam a tenebrarum
  Liberavit præside.[1]
Socios in passione
Consolatur spe coronæ
  Spondens pro martyrio:
O mens tendens ad superna:
O sal terræ! O lucerna
  Lucens non sub modio!
Ad tribunal trahitur
Et damnare cogitur

---

[1] Liber, sine sensu, *perside.*

Cultum Dei penitus:
Sed responsum docuit
Quo succensus ferbuit
Ignis sui spiritus.
Super caput sancti viri
Trux præses[2] ardoris miri
Picem jubet fundere:
Sed videtur hoc tormentum,
Quasi suave sit unguentum
Ardorem restinguere.
Tortor videns nec sic flecti
Cyriacum jubet plecti
Capitis sententiâ:
Et sic, odor suavitatis
Deo factus, cum Beatis
Cœli tenet atria.
Ave, Martyr gloriose,
Ave, sidus aureum:
Ave, flos perennis rosæ,
Germinansque lilium!
In hâc valle peregrinâ
Confer tuis precibus
Ne retardet culpæ spina
Nos a dextris gressibus:
Sed post carnis velamina,
Deletâ gibbi sarcinâ,
Jungamur cœlestibus. Amen.

---

[2] Ita dedi pro *præsens*.

LXXIII.

IN SUSCEPTIONE SANCTÆ CORONÆ DOMINICÆ.

(D. XI. AUG.)

E MISSALI REDONENSI.

FLOREM spina coronavit:
Sed flos spinam procreavit:
Flos Mariæ Filius:
Flos effecit pretiosam
Spinam quamvis tortuosam:
Flos spineti nescius.

Florem floris spina pungit,
Sed spinetum flos inungit
Pietatis oleo:
Arbor Vitæ vitæ spinam
Gerit viris medicinam,
Et mel sub aculeo.

Fructum Vitæ spina lædit;
Exul fructu vita redit;
Vivit fructu gratia:
Surge fortis et lætare,
Et Coronam venerare,
Quâ ditatur Gallia.

Super aurum hæc Corona,
Preciosa, digna, bona,
Vernans Agni Sanguine:
Forte gerens diadema,
Hostem fallit per problema
Deitas in homine.

Vernans super Cethim ligna,
Quibus arca fuit digna
Legis tabernaculo:
Hanc Coronam veneremur:
Ut cum Christo coronemur
In futuro sæculo. Amen.

LXXIV.

IN FESTO CORONÆ DOMINI.

E MISSALI SARISBURIENSI.

SI vis vere gloriari,
Et a Deo coronari
Honore et gloriâ,
Hanc coronam venerari
Debeas, atque sectari
Portantis[1] vestigia.

---

[1] Lib. *Portantes.*

Hanc cælorum Rex portavit,
Honoravit et sacravit
Sacro suo capite:
In hâc galeâ pugnavit,
Cum antiquum hostem stravit
Triumphans in stipite.

Hæc pugnantis galea,
Triumphantis laurea,
Tiara Pontificis;
Primum fuit spinea:
Postmodum fit aurea
Tactu sancti verticis.

Spinarum aculeos
Virtus fecit aureos
Christi Passionis;
Quæ peccatis spineos
Mortis eternæ reos
Adimplevit bonis.

De malis colligitur,
Et de spinis plectitur
Spinea perversis:
Sed in aurum vertitur
Quando culpa tollitur,
Eisdem aversis.

* * * *

Jesu pie, Jesu bone,
Nostro nobis in agone
  Largire victoriam ;
Mores nostros sic compone,
Ut perpetuo Coronæ
  Mereamur gloriam. Amen.

LXXV.

IN DIE S. RADEGUNDIS.

(D. XIII. AUGUST.)

E MISSALI REDONENSI.

LAUDET laude speciosâ
  Qui divinâ gratiâ
Liberatus a reatu
  Tendit ad cælestia :
Ad quæ certâ spe contendens,
  Despicit terrestria,
Quæ sub sole vanitatis
  Vanitas sunt omnia ;
Decor laudis, vitæ modus,
  Legis observantia,
Quæ virtutum diversarum
  Fit munificentia.

Nam ad hoc opitulatur
  Elegans prudentia :
Et dispensans agendorum
  Causas temperantia :
Fortitudo resistendi
  Contra quæque vitia ;
Et quæ sua sunt reddendi
  Singulis justitia.
Omnis ætas et uterque
  Sexus salutaria
Deo speciosæ laudis
  Offert sacrificia.
Nemo prorsus est expertus
  Ab hâc laudis hostiâ,
Qui vel mente legi Dei
  Servit cum fiduciâ.
Sic beata Radegundis,
  Cujus hæc solemnia
Celebramus, mundi fastum
  Ejusque contagia
Declinavit, et probrosæ
  Vitæ lenocinia :
Carnem suam crucifigens,
  Cum concupiscentiâ.
In hâc valle lacrymarum
  Cuncta transeuntia
Eternorum charitate
  Reputavit vilia :

Habens gemitum pro cantu,
  Hymnum in tristitiâ,
Congaudere cum electis
  Meruit in gloriâ.
Quo nos cuncti festinemus,
  Ut post hæc exilia,
Ipsâ interveniente
  Lætemur in Patriâ. Amen.

LXXVI.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

E MISSALI RATISBONENSI.

AFFLUENS deliciis,
  David Regis filia,
Sponsi fertur brachiis
Ad cæli sedilia:
Et amica properat,
Sponsum qui abierat
Quærens inter lilia.

Hodie cubiculum
Regis Hester suscipit,
Sedare periculum
Quod hostilis efficit
Aman instans fraudibus:
Peccati rudentibus
Mundo mortem conficit.

Per cæli palatia
Cuncta transit hostia,
Intra Regis atria,
Ubi sceptrum aureum,
Christum, os virgineum
Osculatur hodie
Ut sit pax Ecclesiæ.

Vox Rachelis in Ramâ
Hic auditur: sed dragma
Tibi dulce canitur,
Ubi te amplectitur
Sponsus, et alloquitur
Quod beata fueris
Plusquam cunctis superis.

Te transmittit hodie
Tellus cæli curiæ,
David Regis Thecuitem,[1]
Helisæi Sunamitem,
Ut fugati revocemur,
Et prostrati suscitemur
Ad eterna gaudia,
Ubi es in gloriâ. Amen.

---

[1] Alluditur ad historiam ii. Reg. 14.

LXXVII.

IN FESTO S. LUDOVICI REGIS.

(D. XXV. AUGUST.)

E MISSALI REDONENSI.

REGEM regum veneremur,
Et de regis gloriemur
Ludovici gloriâ:
Ex Francorum regni curâ
Beatorum regni jura
Possidet in Patriâ.

Ipsum Christo conformatum
Magnum fecit et beatum
Virtutum immensitas:
Longa fides, amor latus,
Alta spes, sed non elatus:
Profunda humilitas.

Vultum habens David Regis,
Ezechiæ zelum legis,
Et Josiæ[1] studium:
Doctus veræ lucis dator,
Vitæ custos et amator
In Christo viventium.

---

[1] Liber, *Josuæ*. Sed de Regibus agitur.

Orbis signis illustratur,
Capto regi restauratur
Hostis prædâ præditus:
Vita datur morituris,
Claudis gressus, lux obscuris,
  Et captivis reditus.

Certus demum de coronâ,
Maris undis dempto Jonâ,
  Cæli portum tenuit:
In extremis successorem
Informavit, et cultorem
  Esse Dei docuit.

Vitâ vivens Beatorum
Felix regnat Rex Francorum
  In beatis sedibus:
Supplicemus Sancto Regi
Nos Sanctorum jungi gregi
  Piis ejus precibus. Amen.

LXXVIII.

IN DECOLLATIONE S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

E MISSALI[1] ANDEGAVENSI.

PRÆCURSOREM summi Regis,
Et præconem novæ legis
Celebrat Ecclesia:
In hâc luce tam festivâ
Gaude, Mater, et votiva
Deprome præconia.

Hujus ortum veneremur,
Sed nec minus delectemur
In ejus Martyrio:
Totus mundus sit jucundus:
Nullus Martyr huic[2] secundus
Virtute vel præmio.

---

[1] Et hæc prosa Adamum de S. Victore auctorem habet.

[2] Vel inversâ oratione utitur poeta, ita ut dicere velit, Nulli Martyri hic secundus: vel nullum Martyrem beatissimo Johanni tam prope accedere asserit, ut vel secundus ab eo dici mereatur. Quod poetam potius quam Theologum sapit. Clichtov. emendat, contra omnium librorum fidem, *Nulli Martyr hic secundus.*

Non est nostræ parvitatis[3]
Virum tantæ dignitatis
  Laudare per omnia:
Summa rei recitetur,
Ut affectus[4] excitetur
  Ex ejus memoriâ.

Non arundo levitatis,
Sed columna firmitatis,
  Nulla palpat crimina:
Scribas tangit, et Doctores;
Vocans legis transgressores
  Viperæ genimina.

Arguebat hic Herodem,
Nec terretur ab eodem,
  Ligatus in carcere:
Fert injuste justus pœnam,
Rem detestans tam obscœnam
  Regis et adulteræ.

Sævit in hunc vis tyranni:
Laus accessit hinc Johanni,
  Tyranno supplicium:

---

[3] Andeg. *pravitatis.* [4] Liber, *effectus.*

Stultus sævit sapienti
Quia justus in præsenti
  Purgatur[5] per imperium.

In natalis sui cœnâ
Capitali plecti pœnâ
  Johannem Rex imperat:
Speculator saltatrici,
Saltatrix dat genetrici,
  Caput quod perierat.

Crux præsignat sublimari[6]
Christum,—sed hunc minorari
  Capitis abscissio:[7]
Mors est justi pretiosa,
Quam præcessit gloriosa
  Vitæ conversatio.

Nos ad laudem tuam, Christe,
Præcursoris et Baptistæ
  Colimus solemnia;
Tu nos ab hâc mortis valle
Duc ad Vitam recto calle
  Per ejus suffragia. Amen.

---

[5] Id est, purgatur per flagella et afflictiones quas ab *imperio*, id est, tyranno, fert justus.

[6] Refertur ad S. Johannis vaticinium. (S. Joh. iii. 30.) 'Illum oportet crescere me autem minui.'

[7] Andegav. *supplicio*.

LXXIX.

IN NATIVITATE B. M. V.

EX MISSALI VETERI ROMANO ET XANTONENSI.

UTERUS Virgineus
Thronus est eburneus
Regis Salomonis,—
Thronus admirabilis,
Dispar et dissimilis
Universis thronis.

Salomon pacificus
Summi Regis filius
Hunc elegit thronum:
Virgo thronus exstitit
Cüi Deus præstitit
Tam excellens donum.

Hæc est Joseph horreum,[1]
Quod non aperitur:
Hæc vas fundens oleum,
Quod non exhauritur.

Hæc est sedes[2] gratiæ,
Domus pudicitiæ,

---

[1] Hos quatuor versus omittit Xant.
[2] Roman. *fides.*

Sedes summi Dei:
Hæc est in quâ residet[3]
Dominus qui præsidet
Universæ rei

Sicut vellus maduit
De cælesti rore,
Sic uter intumuit
Servato pudore:
Nec vellus corrumpitur
Imbre pluviali,
Nec pudor amittitur
In conceptu tali.

Hæc est aromatica
Cella Creatoris;
Utilis et unica
Medela doloris;
Nardus odorifera,
Quæ fundit odorem:
Oliva fructifera,
Virga ferens florem.

Hæc vas pigmentarium,
Regale palatium,
Domus est[4] cedrina:

---

[3] Xant. *In hac sedere sidet.*
[4] Rom. *Hæc.*

[5]Angelorum Domina,
Benedicta fœmina,
Cœlorum Regina.

O Sancta Virginitas,
Nostra nequit parvitas[6]
Te digne laudare;
Sustines in gremio
Quem non cæli regio
Potest sustentare.

Pulchrior virginibus,
Et præ mulieribus
Cunctis benedicta;
Placa nobis Filium;
Expurga fidelium
Omnium delicta.

In te pluit, in te fluit
Deus suam gratiam;
Ergo tuæ nobis plue
Gratiæ clementiam.
[7]Ad beati tui Nati
Transfer nos præsentiam;
Et nostrorum delictorum
Profer[8] indulgentiam. Amen.

---

[5] Rom. Addit *hæc.*
[6] Rom. *pravitas.*
[7] Transponit Xant.
[8] Libri, *perfer.*

LXXX.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

E MISSALI TORNACENSI.

SALVE, salve, Sancta Parens:
Gabrielis verbo parens,
Verbum verbo concipis:
Cæli porta, portus maris,
Sancta mater expers maris
Quæ naturam decipis.

Ros in vellus ut descendit,
Sicut vitrum[1] sol accendit,
Et transit innoxius,
Sic obumbrat Virtus Patris,
Sic fœcundat, sinum Matris,
Imo gloriosius.

Intrat Ille portâ clausâ
Cui natura nec est ausa

---

[1] Carmen illud respexit poeta:
'Ut vitrum non læditur
Sole penetrante,
Sic illæsa creditur
Post partum et ante.'

Nec potens resistere;
Sed miratur et adorat:
Nomen audit, rem ignorat
Virginis puerperæ.

Sic perflavit Auster hortum
In quo sacri floris portum
Rigavit Paraclitus;
In se clausit stella solem
Dum concepit Virgo prolem
Nutu Sancti Spiritus.

Gabrielis Ave sanctum
Evæ nomen, Evæ planctum
Convertit in gaudia:
Illo verbo salutari
Per nos velis salutari:
Ave plena gratiâ. Amen.

LXXXI.

IN FESTO EXALTATIONIS SANCTÆ CRUCIS.

E MISSALI REDONENSI.

SALVE lignum[1] Sanctæ Crucis,
Salve signum summi Ducis,
Qui fideles introducis
Ad cælestem Patriam:
Dulcis Arbor et süavis,
Veri Nautæ vera Navis,
Cujus est firmata clavis,
Nos transfer ad gloriam.

Summi Sacerdotis ara,
Patri placens, Nato cara,
Per quam tuis fit amara
Fallax vita sæculi:

[1] Cum sequentia hæc quam maxime Adami de Sancto Victore sapiat ingenium, rudiore licet quam quæ plerumque protulit stylo conscripta; cumque scriptorem Armoricanum in Missali Armoricano indagari probabile sit; mihi non possum persuadere quin re verâ hæc prosa eximii poetæ, juvenilis forsan, sed haud indignus, sit fœtus.

Alteratur homo reus,
Tum Gentilis quam Judæus,
Dum offertur Homo Deus
Pro peccatis populi.

Tremit terra, pallet cælum:
Scissæ petræ, scissum velum:
Quando Christus suæ prelum
Vitis vera protulit.
Servos hosti Rex ademit:
Mortem Cruce[2] Mors peremit:
Agnus[3] oves qui redemit
Lupo prædam abstulit.

Lignum Noe reservatur:
Noster Noe Cruci datur:
Lignum ligno[4] reparatur
In quo Serpens vicerat.
Manus mites dum expandit,
Rex cœlorum cœlos pandit:
Et cum multis illic scandit
Unde solus venerat.

---

[2] Liber, vitiose, *Crucem*.

[3] In mente habuit poeta illum sequentiæ versum: '*Agnus redemit oves*: Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.'

[4] Ad verbum pene expressit poeta Venantianum illud: 'Ipse lignum tunc notavit damna ligni ut solveret.'

Legislator virgâ cædit;
Rubrum mare cæsum cedit:
Plebs Hebræa lætus redit,
  Submerguntur cæteri:
Virga Crux est in figurâ:
Quâ de servitute durâ
Liberata[5] est natura,
  Fit nova de veteri.

Regnum ergo salutare,
Plebs redempta, venerare:
Cujus Christus astat aræ
  Sacerdos et Hostia:
Adhuc optans immolari
Se præsentat in Altari:
Qui nos de profundo mari
  Suâ salvet gratiâ. Amen.

---

[5] Liber, sine idoneo sensu: '*Liberatur in naturâ.*'

LXXXII.

IN OCTAVA[1] S. MAURILII EPISCOPI ANDEGAVENSIS.[2]

(D. XIX. SEPT.)

E MISSALI ANDEGAVENSI.

RENES nostros præcingamus,
Et lucernas præferamus
Ardentes in manibus:
Ut sic caro castigetur
Quod et alter illustretur
Lucis ex operibus.

Voci[3] vita conformetur:[4]
Si vox vitæ reluctetur,
Laus est sine pretio:

---

[1] S. Maurilii festum in xiii. die Sept. cadit. Sed quum xx. Vigilia est S. Matthæi, uno die pii pontificis anticipatur octava. Miracula, quæ prosa enarrat, in vitâ S. Maurilii a S. Magnobodo conscripta videre est. (Sept. Bolland. iv. 72.) Is tamen de puero, sine baptismo decedente, silet.

[2] Et hæc prosa minime dubito quin Adami sit: præsertim cum Missale Andegavense ejus sequentiis abundet.

[3] Liber, vitiose, *voti*.

[4] Ita quoque de S. Cruce Adamus:

'Voci vita non discordet:
Cum vox vitam non remordet,
Dulcis est symphonia.'

Laus in ore peccatoris,
In conspectu conditoris
  Sola superstitio.

Ergo labe propulsatâ
Mens exultet, provocata
  Linguæ ministerio:
Plebs devota, Regem cælestium
Veneremur, perenne gaudium
  Præstante Maurilio.

O quam felix, quam colendus,
Est sacerdos, reverendus
  Plasma Sancti Spiritus:
Cujus natalitio
Psallat cum tripudio
  Cælestis exercitus.

Ecce novus hic Helias,
Cujus implet preces pias
  Ignis missus cœlitus:
Fœnum urens idolorum,
Ut expiret malignorum
  Vis elisa penitus.

Sævit Satan in prædonem,
Errabundum agasonem
  Agens orbe devio:

Nauta febre rapitur,
Dum nec prece flectitur
Pro suo, nec pretio.

Ob insigne sanctitatis
Mundialis dignitatis
Contempto fastigio,
Præsulatur, sed honorem
Transfigurat in laborem
Fidelis[5] opilio.

Enervata vinaturæ[6]
In fœcundam mentis puræ
Fœcundat oratio:
Mente captâ liberatur,
Sed et lumen reparatur
Cedente demonio.

Stant parentes expetentes[7]
Nato sacrum per lavacrum
Fidei caracterem:
Dum ad horam facit moram
Vir beatus, recens natus
Pœnam solvit veterem.

---

[5] Liber perperam, *fideli.*

[6] Forsitan: '*Enervatâ vinaturâ,*
In fæcundam mentis pura
Fæcundat oratio.'

[7] Ita ex conjecturâ pro *expectantes* dedi.

Sibi casum vir ascribit,
Sui judex se proscribit;
Mare legens, saxo scribit—
  Hic transit Maurilius.
Dum pastore viduatur,
Terra fructu vacuatur;
Mox per claves[9] revocatur,
  Amissarum conscius.

Situm ponens et rigorem,
Suum terra per pastorem
Fœcundatur post marcorem,
  Pleno tumens ubere:
Tumet uva, seges[8] crescit,
Putris caro reflorescit,
Dum infernus obstupescit
  Renatum resurgere.

Intus facti quod vox foris
Clamat, ope confessoris
Imploremus Conditoris
Opem, vitæ melioris
  Nobis præstet gaudia.

---

[8] Ab ordinatione S. Maurilii, inquit S. Magnobodus, usque ad transitum, tanta urbem Andecavonam abundantia replevit ut forum publicum in pretio alimoniorum nec adderetur nec minueretur.

[9] Id est per Sedem Romanam.

Fons immensæ pietatis,
Jesu bone, prægravatis
Onus duplæ vetustatis
Tolle, tuæ novitatis
Largiens duplicia. Amen.

LXXXIII.

IN FESTO SS. MAURICII ET SOCIORUM.

(D. XXII. SEPTEMBR.)

E MISSALI MS. WOLFENBÜTTELENSI.[1]

REDEUNDO per gyrum
Triceni annalis,
Thebæorum militum
Effulsit natalis :
Quibus mundi numerum[2]
Equinoctialis
Dies iste factus est
Dies eternalis.

---

[1] Sequentia vere præclarissima: quæ tamen mirum in modum correctore indiget, præsertim cum nullibi, nisi in hoc uno codice, eam invenire potui.

[2] Sensus: Dies iste, in quâ beatissimi Martyres passi sunt, secundum regulas astronomicas, cum in tempore equinoctiali cadat, tantum noctis quantum lucis habere debet. Atqui iis, qui in regnum lucis recepti sunt, dies factus est eternalis: quia 'nox ultra non erit.'

Dies sine vesperâ,
  Nocte non sepultus,
Quem non sol per aera
  Sed divini vultus
Illustrat[3] serenitas,
  Talis factum vultus,
Quo senes sunt juvenes,[4]
  Nemo fit adultus.

In hâc se Mauricius[5]
  Maurum diffitetur:
In hâc Niger candidus
  Candidis habetur:

---

[3] Liber, *illustra.* In proximo versu latet ulcus.

[4] Sententia perobscura: quam tamen ita intelligo ut id exprimat quod et V. Hildebertus: 'Non est ibi corruptela, Non defectus, non querela: *Non minuti, non deformes;* Omnes Christo sunt conformes:' et noster Fletcherus:

> The infant wonders how he came so old,
> The old man how he came so young again.

Pie enim credit Ecclesia, corpora fidelium, post resurrectionem, florem juventutis assumptura esse. 'Nemo fit adultus:' quo in verbo latet *in deterius conversionis* idea.

[5] Manifestum est poetam, paronomasiâ satis eleganti, in nomina SS. Martyrum ludere. Ex his, quæ novimus, hæc fuerunt: SS. Mauricius, primicerius; Exuperius, senator: Candidus, campiductor: Victor, miles veteranus: Innocens; Vitalis. Liber iv versus ita profert: *In hâc se Mauritius Maurum dividetur: In hâc Niger Candidus habetur.* Dedi *diffitetur* pro *dividetur,* ut sit sensus: Maurus, licet

Ibi Exuperius
  Nunquam superetur:
Et Victor victoribus[6]
  Victus societur:
Ibi Innocentius
  Innocens tenetur:
Et Vitalis munere
  Vitæ satietur.

Senas senas, proceres,
  Numeri perfecti,
Collegistis acies
  Gressu callis recti:
Ad callem justitiæ
  Colla licet secti,
Jesu nostro Capite
  Non potestis flecti.

---

niger fuerit conspectu, (ut plerumque illum depingunt,) tamen candore animæ vere album esse se demonstravit. In versu sequenti poetam *Niger* pro nomine proprio habuisse videtur. Et forsan in ecclesiâ illâ inerat traditio unum ex Thebæâ legione militem eo nomine appellatum fuisse. Addidi, metri causâ, *candidis,* quod facile excidere potuit. Tum sensus erit: Niger, a candidis suique similibus animis, Candidus habetur.

[6] Victus, scilicet a morte, est: victoribus, scilicet Sanctis cum Christo triumphantibus, associatur. Ita quoque testantur, S. Victore martyrium subeunte, auditam fuisse vocem de cœlo, 'Vicisti, beate Victor, vicisti.'

[7]Ut ad thronum gradibus
Senis conscendamus,
Bissenos leunculos
Et non timeamus,
Ut sex improperia[8]
Nunquam audiamus,
Vos seni succurrite
Nobis, supplicamus.
Ascendistis in montem:
Idem est agendum:
Nobis benedicite:
Amen est dicendum.[9]

---

[7] Alluditur ad Thronum Salomonis: de quo Liber ii. Paralip. ix. 18.

[8] Alluditur ad Job. v. 19.

[9] Operæ pretium erit aliqua transcribere ex sequentiâ *in receptione brachii S. Mauricii,* quæ in Miss. Andegavensi legitur. Haud immerito tales prosæ a Synodo Coloniensi primum, dein ab Ecclesiâ Romanâ damnatæ sunt. Hunc in modum incipit: 'Clerus Andegavensium Psallat cum turmâ civium: Quod Mauricii brachium Nobis misit Byzantium. Constantinopolitana Civitas diu profana Manserat. Et duritiâ vesanâ Dogmata sacra Romana Spreverat. Franci fortes accinguntur Venetis associati: Urbem hanc aggrediuntur: Cadunt Græci superati. Archipræsul Philippensis Genere Rothomagensis Francis opem præbuit: Et de rebus civitatis Ob mercedem probitatis Opes multas habuit. Qui prudenter perscrutatus Res quas erat hic lucratus, Hoc reperto brachio, Nobis illud destinavit, Et nos tanto decoravit Vir largus e xenio,' &c. &c.

LXXXIV.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

E MISSALI REDONENSI.

IN hâc valle lacrymarum
Susceptorem animarum
Nostra laudet concio:
Laudem demus corde læto
Animarum huic præfecto
In cæli palatio.

Hic superbum superavit
Hostem nostrum, et privavit
Cæli claro lumine:
Qui se parem Deo fecit
Cogitatu;—sed defecit
Omni carens numine.

Quam felices quam præclari
Angeli sunt, Deo cari:
Ad nos ferunt nuncia:
Vultu Dei multa notant;
Et de pleno fonte potant
Quo juvant mortalia.

Civitatis Sanctæ cives,
In quâ regnat Rex prædives,
Nos consortes gloriæ
Simus omnes; ne damnemur;
Sed cum Christo gloriemur
Qui dat regna gratiæ.

Ordo novem Angelorum
Nos perducat ad decorum
Cælorum palatium;
Per Baptismum nos renati
Habeamus emundati
Sempiternum gaudium. Amen.

LXXXV.

IN FESTO S. LUCÆ.

EX MISSALI PRAGENSI.

REGNUM tuum regnum omnium sæculorum,
Domine, Rex Regum:
a Cujus regni gloriam et potentiam tuam loquuntur
a Plen*a* oculis quatuor animalia ante et retro:
b Leo, vitulus, homo, aquila profunda rimans mysteria:
b Marcus, Lucas, Matthæus, Joannes, occulta Verbi coeructant.[1]

---

[1] Dedi *co-eructant* pro *eructant,* metri causâ.

c Quorum formâ et doctrinâ Christe cum reginâ tuâ significaris Ecclesiæ.

c Homo, factus: Bos, in Cruce;[2] Leo cum resurgis: [et] Aquila, super astra volitans.

d Et Ecclesiæ nati homines, ut membra[3] novi sint hominis;

d Crucifigentes se cum vitiis in Crucis arâ, sunt[4] vituli;

d Vultu sunt leonino ad resistendum fortiter diabolo;

g Aquilam tunc exprimunt, in verum solem [cum] vultus figunt et intuentur.

e Hi sunt enim, Christe, quadrigæ tuæ salvatio,[5]

e Quadrifidâ[6] Cruce, quam rotæ dant Evangelistæ.

f Auriga tui currus, super hos equos scandens, Domine,

f Viam fac equis tuis, in luto multo nostri pectoris,

h Ut subvecti hoc in curru maris de tumultu, portum perpetuæ contingamus Patriæ,

---

[2] Sic quoque Adamus: 'Natus, homo declaratur; Leo, mortem deprædatur: Vitulus, sacrificatur: Sed ascendit, Aquila.'

[3] S. Hildebertus: 'Fons distillat adhuc: doctrinæ consule venas: Quatuor hæc justus quilibet esse potest. Dura domans leo fit: mactans carnalia fit bos: Prudenter fit homo: summa petens, aquila.'

[4] Ita correxi pro *semper*.

[5] Alluditur ad Habac. iii. 8: 'Qui ascendes super equos tuos et quadrigæ tuæ salvatio.'

[6] Liber, *quadrificâ*.

h Ubi, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Natus Maris stellæ, tibi clamant cum his [quatuor] animalibus:

g Quorum sit nobis oculorum multitudo bonæ vitæ circumspectio. Amen.

LXXXVI.

IN FESTO S. QUINTINI.

(D. XXXI. OCTOB.)

E BREVIARIO TORNACENSI.

PER unius casum grani,[1]
De valle Gethsemani
Grana surgunt plurima:
Orbem terræ, cœli gyrum,
Ornat rosis Martyrum
Una Christi victima.

Præstat vires quibus freti
Cuncta possunt perpeti
Tormentorum genera:

---

[1] Priorum versuum permira est ratio metrica. Quum enim oculo homoioteleuton (quod vocant) duplex exhibeant, nihil minus re habent: arsi hâc, thesi inde, respondente. Maximam subtilitatem at infructuosam hâc in re exhibet poeta.

Nec formidant poni cibus
Cœli volatilibus,
  Suspendi per aera.

His indignus[2] erat mundus
Dum diei portant pondus,
  Et æstus incommoda:
Fracti corpus, corde recti,
Mori possunt, sed non flecti,
  Sub strage multimodâ.

Hi certamen certant bonum,
Qui ut Christi passionum
  Suppleant residua,
In melotis circumire,
Casus omnes sortis diræ
  Mente ferunt strenuâ.

Sed hanc sortem nemo minus
Declinavit quam Quirinus,
  Quem produxit stirps venusta:
Gloriosus in Romanis
Fatigavit, Ambianis
  Ut quiescat in angusta.

Propter jugum Christi lene
Premunt compes et catenæ

---

[2] Liber, *indignis.*

Carceral clausum cellâ:
Sed triumphat bonus bene
Universum genus pœnæ,
Famem, frigus, et flagella.[3]

*　*　*　*　*　*

Sublatum ab areâ
Sic fertur ad horrea
Granum sine paleâ.
Cujus continentiâ
Gloriam, et gloriâ
Parturivit Alleluia. Amen.

LXXXVII.

IN DIE OMNIUM SANCTORUM.

E MISSALI LEODIENSI.

RESULTET tellus et alta cœlorum machina *a*
In laudem Patris eterni regentis æthera; *a*
b Cüi Angelorum chori concordes canunt odas in poli regiâ.
b Ipsi etiam et nostra jam nunc intonent præconia voce sonorâ.
c Hunc laudant agmina sacra Sanctorum Omnium in tellure paradisiacâ,

---

[3] Omisi Sancti Martyrium, quod reliquo indignum est carmine.

c Et cantant cantica nova, Christum Dominum laudantia, per sæcula eterna.

d Illuc sequuntur Agnum prævium Ducem, calcantem flores per gramina roscida;

d Stolis albis fulgida, palmis ornata; sertaque gestant capitibus laurea.

e Tempserunt namque lubrica hujus mundi lenocinia, spernendo præsentia, suspirandoque semper cœlica

e Spiritus Sancti gratiâ: cujus clara rutilant dona, quibus[1] sempiternæ vitæ consequimur magna præmia.

e Ipsius enim afflatu nostra purgantur intima,

e Mentibus quoque purgatis cuncta delentur crimina.

m Huic Deitas jugis est, cum Patre summo Natique potentiâ

m Arce supernâ per sæcula: quâ beata Sanctorum sunt agmina,

g Eterni luminis claro splendore micantia,

g Divinitatique summæ semper assistentia.

Illic tenent sedilia distinctis ordinibus dignanter constrata: nostraque spectant consortia:

In Deitate Unicâ[2] Trinitatem Sanctam cernentia, in gloriâ eternâ

---

[1] Dedi *quibus sempiterna* pro *queis eterna:* ut metro consuleretur.

[2] Sine dubio hic versus præcedenti respondet: sed excidit aliquid.

i Ad quam nos Deus omnipotens post ultima perducat funera.

i Lætemur ibi per sæcula cum Angelis ipsius ad dextram

k In quâ gloriantur Sancti omnes, quorum hæc sunt festiva.

k Amen cuncta in jubilo personant redempta: Alleluia. Amen.

LXXXVIII.

IN DIE OMNIUM ANIMARUM.

E MISSALI LEODIENSI.

DE profundis exclamantes audi, Christe, nostras voces in cœlesti curiâ. *a*

a Pro defunctis fidelibus ad te clamat nunc omnibus, te, supplex Ecclesia:

b Fiant ergo intendentes ut audiant tuæ aures vocis hæc suffragia.

b Vox hæc orat, Rex gloriæ, fidelibus ut hodie concedas remedia.

c Peccatores quamvis simus, sustinere nec possimus si observes vitia,

c Fiat tamen salutaris quæ offertur nunc a nobis pro defunctis hostia.

d Hæc quam Patri obtulisti, offerimus et nos ipsi; sit eis propitia.

d Propitius esto eis: solve vincla, Jesu, reis, in tuâ potentiâ.

e Propter legem quam dedisti te sustinent quos fecisti: averte supplicia.

e Te sustinent, eruantur: in te sperant, educantur ad cœli palatia.

f In te sperant, in te credunt; ad te tendunt et suspirant de fæcis miseriâ.

f In te die, in te nocte, in te mane et vespere: sit eis fiducia:

g Sit apud te quam rogamus, pro quâ tibi quam rogamus, pietatis copia.

g Ut redimas eas, Christe, supplex rogat cœtus iste, ab omni nequitiâ.

h Reginarum imperatrix, tua roget te genitrix: fiat horum impetratrix quæ rogamus Maria.

h Bone Jesu Rex[1] gloriæ omnes sancti præcipue te rogantes sint hodie pro eorum veniâ.

i Qui per Crucem exaltatus peccatorum es misertus, audi preces queis devotus ad te clamat noster cœtus cum misericordiâ.

i Per te vincla confringantur; portæ mortis destruantur; diaboli confundantur; et animæ consequantur sempiterna gaudia. Amen.

---

[1] Dedi *Rex* pro *Christe.*

LXXXIX.

IN PRÆSENTATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

E MISSALI VERDENSI.

GAUDE, Sion, et lætare:
Templum venit adorare
Nova tibi filia:
Quam Rex regum concupivit,
Cujus templum introivit
Co-ornata monilia.

Quæ justis a parentibus
In annis tam recentibus
In Templo præsentatur,[1]
Sinceris nostris mentibus,
Amoreque ferventibus,
Quam juste collaudatur!

Tam castis in visceribus,
Tam puris ex sanguinibus,
Hanc carnem ministravit,
Quos Deo Sanctus Spiritus
Ex utero divinitus
In unum copulavit.

---

[1] Ita dedi pro *præsentavit.*

Idcirco cives cœlici,
Ac spiritus angelici
  Præ gaudio mirantur,
Mysterium mirabile,
Excellens, ineffabile,
  Extrema copulavit.[2]

Hæc iter planat invium,
[Hæc] agnum quondam devium
  Reduxit ad pastorem :
[Hæc] nulli claudit gremium,
Sed miserando præmium
  Dat lassis post laborem.

Jerusalem tu Filia,
In templo fer auxilia
  Te veniam petenti:
Qui pascis inter lilia[3]
Da bona super millia
  Et auri et argenti.

Quæ nunquam vidit oculus,
Hæc præparavit Dominus[4]

---

[2] Corrupte sine dubio legitur. Legi potest: *Exultant, gratulantur.*

[3] Ex hymno *Jesu Corona Virginum* versum mutuatus est poeta.

[4] Hæc corrupte ita leguntur; *sic præparavit dominus suis diligentibus.*

Suis se diligentibus:
Hæc in cœlorum acie
Videntur clarâ facie
Sanctis et puris mentibus.

Ibi, Virgo, nos agnosce,
Libro Vitæque deposce
Cum electis inveni:
Ut consortes hujus sortis
Et a pœnis et a mortis
Eruamur inferi. Amen.

XC.

IN FESTO S. KATHERINÆ.

E MISSALI PRAGENSI.[1]

AD honorem superni cantemus Regis
Alleluia.
Regi summo fidelis vox psallat gregis
Mente purâ.
Laudes tibi debitas Rex perennis suscipe
Die istâ.
Quâ triumphat cælitus de terreno principe
Katherina.

---

[1] Ad normam carminis Bernardini, *Lætabundus*, composita est sequentia.

Hæc est sponsa Domini,
Virgo juncta Virgini,
  Semper casta:
O pudoris lilium,
Votis te canentium
  Semper asta.
Hæc est Virgo regia,
Quæ regum palatia
  Sprevit alta:
Cujus sapientiâ
Rhetorum facundia
  Fit obtusa.
Cæsaris consilium
Ad commune præmium
Traxit hæc perplurimum,
  Cum reginâ.
Tandem per martyrium
Supernorum civium
Subiit palatium
  Christi sponsa.
O Flos purpureus, splendor Virgineus, Christi
  thalamus ethereus:
Suscipe cantica protinus supplicia
Ut cantemus tecum canticum Alleluia. Amen.

XCI.

IN FESTO S. KATHERINÆ.

E MISSALI ANDEGAVENSI.[1]

VOX sonora nostri chori
Nostro sonet Conditori,
Qui disponit omnia:
Per quem dimicat imbellis,
Per quem datur et puellis
De viris victoria:
Per quem plebs Alexandrina
Fœminæ non fœminina
Stupuit ingenia:
Dum beata Katherina
Doctos vinceret doctrinâ,
Ferrum patientiâ.
Hæc ad gloriam parentum
Pulchrum dedit ornamentum
Morum privilegia:
Clara per progenitores
Claruit per sacros mores
Ampliori gratiâ.

---

[1] Adami de S. Victore prosa est ex elegantissimis.

Florem teneri decoris
Lectionis et laboris
  Attrivere studîa:
Nam per[2] legum disciplinas,
Seculares et divinas,
  In adolescentiâ,
Vas electum, vas virtutum
Reputavit quasi lutum
  Bona transitoria,
Et reduxit in contemptum
Patris opes, et parentum
  Larga patrimonia.
Vasis oleum includens,
Virgo sapiens et prudens,
  Sponso pergit obvia;
Ut adventus ejus horâ
Præparata, sine morâ
  Intret ad convivia.
Sistitur Imperatori,
Cupiens pro Christo mori,
  In cujus præsentiâ
Quinquaginta sapientes
Mutos reddit et silentes
  Virginis facundia.
Carceris horrendum claustrum,
Et rotarum triste plaustrum,
  Famem et jejunia,

---

[2] Clicht. *perlegit.*

Et quæcunque fiunt ei,
Sustinet amore Dei,
  Eadem ad omnia.
Torta superat tortorem ;
Superat Imperatorem
  Fœminæ constantia.
Cruciatur Imperator,
Quia cedit cruentator,
  Nec valent supplicia.[3]
Tandem capite punitur,
Et dum morte mors finitur,
  Vitæ subit gaudia :
Angelis mox fuit curæ
Dare corpus sepulturæ
  Terrâ procul aliâ :
Oleum ex ipsâ manat,
Quod infirmos multos sanat,
  Evidenti gratiâ.
Bonum nobis dat unguentum
Si per suum interventum
  Nostra sanet vitia.
Gaudens ipsa videat
  De se præsens gaudia,
Et futura præbeat
  Quæ dedit præsentia:
Et hic nobis gaudeat,
  Illi nos in gloriâ.

[3] Andeg. *suspiria.*

[4]Quondam personet divine,
Et laudetur sine fine
Christus finis Katherinæ. Amen.

XCII.

IN FESTO S. KATHERINÆ.

E BREVIARIO LEODIENSI.

JUCUNDARE, plebs fidelis:
Nam præclara fit in cælis
Hodie jucunditas:
Cum regnanti sine fine
Triumphalis Katherinæ
Sacra nubit castitas.

Quid hanc Christi sponsam laudem?
Prosequendo tantam laudem
Vis humana deficit:
Sed hæc opis alienæ
Non est opus, quia plene
Ipsa sibi sufficit.

Quæ tam claris micat signis,
Morte vitâque insignis
Tam genâ quam genere:

---

[4] Tres ultimos versus omittit Clichtov.

Satis ex se commendatur,
Suo Christus nec celatur
  Artifex in opere.

Ista fidem dum declarat,
Et medelam ferre parat
  Errori gentilium,
Regem, mersum in furorem,
Regem suum, non rectorem,
  Offendit Maxentium.

Ille sensu puellari
Suos ritus irritari
  Mente ferens anxiâ,
In puellam mox irritat
Quinquaginta, quos præditat
  Sensus eloquentia.

Mutos reddit et deliros
Sola plures virgo viros,
  Jam maturos tenera:
Mox victores fiunt isti
Subeundo jugum Christi,
  Tyrannique vulnera.

Rex puellam melle precum,
In quo latet virus cæcum,
Emollitur ferre secum
  Mortis in caliginem:

Non cedentem blandimentis
Cædi jubet hic tormentis;
Quem plus torquet furor mentis
  Quam tormenta virginem.

Artus fame fatiscentes,
Horror, carcer, et cædentes,
Fœminæque blandientes,
  Malum efficacius,
Hanc impellunt, hanc impugnant,
Sed nec frangunt, nec expugnant
Dei servam, pro quâ pugnant
  Spes, fides, interius.

O res mira, res divina!
Dum volventi Katherina
  Rotæ superponitur,
Tota ruit instrumentum;
Hæc tormenti fit tormentum
  Ipsa nusquam læditur.

Post tormentum decollatur:
Decollata decoratur
  Insigni miraculo:
Lac effudit, non cruorem
In attortum carnis florem,
  Signans hoc signaculo.

O quam digne quam præclare
Ipse Deus tuæ caræ
Veneraris exitum!
Cujus corpus sepulturæ
Dant ministri tuæ curæ
Monte Synâ positum.

Tumbâ manat liquor pacis:
In quo tua, Christe, facis
Patenter miracula:
Dum et sanis hoc unguentum
Fidem firmat, et languentum
Blande solvit vincula.

Sacra Martyr, Virgo pia,
Tu in hujus vitæ viâ
Sic impetra vivere,
Ut ad Christum verum montem
Per tuarum precum pontem
Valeamus scandere. Amen.

XCIII.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

EX MISSALI PICTAVIENSI.

CUJUS laus secundum nomen
  Ejus est et gloria,
Et in universâ terrâ
  Qui dedit judicia,
Timet reus judicandus
  Teste conscientiâ,
Amat justus liberandus
  Ejus solâ gratiâ.
Hæc tanquam abyssus multa
  Sunt inscrutabilia :
Sed de Deo natus Deus
  Dei Sapientia
Nos ex alto visitavit
  Et venit in propria,
Factus homoque narravit
  Nobis hæc et alia
Quæ latebant in figuris
  Occulta mysteria.
Stulta quoque mundi Deus
  Et contemptibilia
Sublimavit dignitate
  Præfecti potentiâ,

Quæ ubique prædicarent
  Ejus testimonia.
Hi sunt cœli continentes
  Secreta cælestia:
Hi sunt nubes unde manat
  Doctrinalis pluvia:
Hi sunt templi fundamenta,
  Sunt portæ, sunt atria:
Sunt bases atque columnæ
  Quibus stat Ecclesia:
Sunt lux mundi verbo vitæ
  Illustrantes omnia:
Sunt sal terræ condientes
  Morum temperantiâ:
Sunt pastores populorum
  Servantes ovilia:
Sunt doctores, subditorum
  Exercentes studia.
Horum ergo flagitemur
  Omnes patrocinia:
Ut cum illis gratulemur
  In cælesti Patriâ. Amen.

XCIV.

IN COMMUNI APOSTOLORUM

E MISSALI NIDROSIENSI.

ALLELUIA nunc decantet universalis Ecclesia, *a*
Extollendo laude celsâ apostolorum insignia. *a*
b Quorum princeps per crucem scandit Petrus alta poli sidera:
b Doctor orbis triumphat sub Nerone urbe in Romuleâ.
c Crux Andreæ digna confert præmia:
c Jacobus uterque nitet laureâ:
e Herodes illum, hunc Judaica gens, transmittit ad æthera.
d Sunt Joanni, sunt Matthæo, collata
d Æque clara gratiarum munera.
e Hirtacus illum necat, hunc suas Jesus vocat ad epulas.
f Philippus Christi gratiâ docens prædicat in Scythiâ.
f Thomas confossus lanceâ cursum consummat in Indiâ.
g Simon et Judas, dum clara Persis ostendunt monita,
g Fusus sanguis ambos stolâ perornavit purpureâ.
h Bartholomæus dat Indis vitæ dogmata.
h Matthiæ culmen dedit sors apostolica.

i Plaudat ergo tellus, plaudat cœlorum curia,
i In hâc die clarâ plauda præsens familia,
k Honorando sacrosancta apostolorum merita.
i Hi sunt candelabra ante Deum lucentia,
i Hi prælati celsâ summi regis in curiâ,
k Hi sal terræ, hi lux mundi, hi clara cœli lumina.
l Jam palma, jam corona, jam promissa olim mensa illis est apposita:
l O quanta, quam præclara, quam jucunda celebrantur hâc mensâ convivia!
m Hic nostra sunt solemnia:
m Sint vota, sint præconia:
m Sint pia laudum carmina. Amen.

XCV.

IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

E MISSALI PICTAVIENSI.

ORTUM sacrum tui, Christe,
Scripserunt Evangelistæ,
Quorum totus orbis iste
Scripturis imbuitur:
Hæreticorum sophistæ,
Philosophi vel artistæ,
Stupent, quibus dogma triste
Per eos illuditur.

Ad firmandum cor sincerum,
Plebem rudem atque clerum,
Sacrarum profunda rerum
  Quos scripsisse legimus:
Per figuras facierum
Quas vidit unâ dierum
Propheta per lumen verum,
  Designari novimus.

Humana Levi, bovina
Lucam, Marcum, leonina
Sed Johannem aquilina
  Designabit proprie:
Tres primi secundum legem
Hominem, hostiam, regem,
Agnum qui redemit gregem
  Ostendunt egregie.

Omnes aquila transcendit
Dum ad divina ascendit,
Et sicut erat, ostendit
  Verbum in principio:
Horum verbo salutari,
Fide firmi, Deo cari
Mereamur gloriari
  Cum eis in gloriâ. Amen.

XCVI.

DE QUATUOR DOCTORIBUS.

E MISSALI LEODIENSI.

SANCTI visu columbino
Et ascensu aquilino
Te, Christe, lux adeunt;
Hi prudentes sunt aurigæ:
Currus Dei et quadrigæ
Plebem Christi subvehunt.

Magne pater AUGUSTINE,
Legis amator divinæ,
Lux fulgens Ecclesiæ,
Fugas hostes quos et feris:
Mittens tela per quæ teris
Inimicos gratiæ.

Arca legis, vas pigmenti,
Contra morbos vas unguenti,
GREGORI, os aureum,
Botrus Cypri gerens merum,
Quo gaudium mentis verum,
Os diffundens oleum.

Ut Helias nulli parcens,
Vir, AMBROSI, magnos arcens
  Obviando crimini,
Infans sanctum te testatur:
Idem monstrans dum clamatur
  Torquens hostes lumini.

Culpans culpas dum fugaris,
Antra petis nec turbaris
  [1]Doctor HIERONYME;
Carnem domas jejunando;
Studes legem declarando,
  Interpretum maxime.

Hi lucernæ ad lucendum,
Nubes isti ad fundendum
  Nunc rorem nunc pluviam:
Sic per fidem nos perducant,
Nos præcedant et inducant
  In beatam Patriam. Amen.

---

[1] Omisi *vir*, quod liber habet.

XCVII.

IN COMMUNI MARTYRUM.

EX MISSALI ORDINIS S. BENEDICTI SPIRENSI.

AGONE[1] triumphali militum Regis Summi dies iste celebris est populis Christo[1] credulis.

a Hi delectamentum respuerant mundanorum

a Et crucem tunc turpem quotidie bajularant.

b Quos[2] nullius feritas a Christo separat:

b Quin ad eum mortibus millenis properant.

c Non carcer ullus aut catena molliunt fortia in Christo pectora:

c Sed nec ferarum morsus diri martyrum solidum excavant animum.

d Non imminens capiti gladius territat[3]

d Fortissimos milites optimi Domini.

e Nunc manu Dei complexi persequentium[4] insultant furoribus quondam crudelibus,

e Et plebi Christi solamen suppeditant in cunctis laboribus lubrici[5] sæculi.

---

[1] Addit Ratisbon. *Regi.* [2] Ratisb. *Hos.*

[3] Spirens. minus recte *terrebat.*

[4] Liber, *persequentum.* Correxi, metri gratiâ. Ita et Salzb. et Rat. [5] Spirens. *lubricus.*

ƒ Vos Christi Martyres
ƒ Nos valde fragiles
Precibus nos justo Judici sinceris jugiter commendare curate.[6]

XCVIII.

IN COMMUNI UNIUS MARTYRIS.

EX MISSALI S. ORDINIS S. BENEDICTI SPIRENSI.[1]

SPE mercedis et coronæ,
Stetit Martyr in agone
Ad mortem obediens:
Morte Christum imitatus,
Fide firmus et firmatus
Firmo gressu gradiens.

Furit furor militaris,
Ut vir sacer sacris aris
Immoletur hostia:
Quem occidunt sævientes
Introducunt nescientes
Ad eterna gaudia.

---

[6] Verisimilius videtur addendum *beatissimi*, vel simile quid, ut hic versus primo respondeat. Ita rectissime procedent omnia.

[1] In quibusdam Missalibus Festo S. Thomæ Cantuar. assignatur.

Christi felix hic athleta,
Qui subire mente lætâ
  Mortem non abhorruit,
Ut sit salus infirmorum
Et medela peccatorum
  Gratiam promeruit.

Cæci, claudi, surdi, muti,
Sunt ad usum restituti
  Divinâ clementiâ:
Non est morbus quem non curet,
Si morborum non aduret
  Tarda diffidentia.

Hostes Christi Christo cedunt,
Signa signis dum succedunt
  Argumenta fidei:
Ergo Martyr invocetur,
Ut per eum nobis detur
  Ad eterna provehi. Amen.

XCIX.

IN COMMUNI MARTYRUM.

EX MISSALIBUS PICTAVIENSI, XANTONENSI, ANDEGAVENSI.

LÆTABUNDI jubilemus:
Læta mente celebremus
Martyrum solemnia:
Qui in mundo morientes,
Sed in Christo renascentes
Ejus vivunt gratiâ.

Cujus testes extiterunt,
Dum mundana respuerunt,
Quærendo cœlestia:
Quem ad mortem dilexerunt
Christum, sequi[1] voluerunt
Per mortis compendia.

Crucem sibi bajulantes,
Solâ Cruce gloriantes,
Auditâ sententiâ,
Si quis post me vult venire,
Tollat Crucem, si redire
Vult ad cœli gaudia.

---

[1] Pict. Xant. *Qui ad mortem—seque:* inepte.

Sic per multas passiones
Ad eternas[2] mansiones
  Gloriosi proceres
Festinabant: sed in Viâ
Experti sunt ludibria,
  Vincula et carceres.

Flagellati, lapidati,
Et per multa cruciati
  Tormentorum genera,
Torcularis in pressurâ[3]
Fæx deorsum, sed vis pura
  Manavit ad supera.

Ubi manet eternale[4]
Quod hic fuit temporale
  Carne tectum lubricâ:
Ibi regnant sublimati,
Unâ stolâ decorati,
  Securi de reliquâ.

Hic[5] N., Martyr Christi,
Laureari meruisti

---

[2] Andegav. *Supernas.* [3] Andegav. *impressura.*
[4] Hos tres versus omittit Xant.
[5] Reliqua omittunt Xant. et Andegav., quorum loco hæc habent:

Poscant isti ut nos Christi
  Sanctorum in agmine
Collocemur et lætemur
  In eternum, Domine.

Claro diademate:
Certâ fruens visione
Quod palpamus ratione
Sicut in ænigmate.

Unitatem Trinitatis,
Trinitatem Unitatis,
Quod est ineffabile,
Illud magnum sacramentum,
Ad quod nullum argumentum
Habemus probabile ;

Manifeste contemplaris.
Contemplando sociaris
Internâ dulcedine ;
Quâ refectus esurire
Nullus potest, nec sitire
Tanto fruens lumine.

O concivis Angelorum,
Ad superna nos polorum
Fac tuo precamine
Post hanc vitam sublevari,
Quos hic cernis aggravari
Multiformi crimine :
Poscat iste ; et tu, Christe,
Largiaris, Domine. Amen.

C.

IN COMMUNI UNIUS MARTYRIS.

E MISSALI NIDROSIENSI.

ADEST nobis dies alma et magno gaudio plena, *a*
In quâ sancta Deo grata congaudet Ecclesia. *a*
b Hodie cælestis turba lætatur, quæ gloriam cantat in excelsis voce dulcisonâ cum symphoniâ:
b Hodie polorum sancta agmina collaudant Regem Deum nostrum natum ex Virgine sanctâ Mariâ.
c Ave inclyte martyr Christi, N., flos pulcherrime,
c Tu vestigia Christi secutus es mente devotâ:
d Eterni regis adeptus es regna.
e Jam gratularis in domo supernâ possidens sedes almas.
d Te postulamus et poscimus una,
e Adjuva tuo sancto suffragio fragilem vitam nostram:
f O beate, O sancte N., pro nobis supplica,
f Ut una mereamur sancta cœlorum templa
g Possidere, læti cernentes
g Alma gaudia quæ sunt plena.
h Sit Deo laus, honor, et jubilatio casta,
h Qui regnat per omnia sæculorum sæcula:
Amen dicant omnia.

CI.

IN COMMUNI PLURIMORUM MARTYRUM.

E MISSALI TORNACENSI.

GAUDE turma triumphalis,
Turma pugnæ spiritalis
Pollens privilegio:
Turma læta corde spreta,
Rosas plantans et roseta
De Crucis martyrio.

Vos de valle visionis,[1]
Vos consortes passionis,
Et Christi victoriæ,
Vos de throno Salomonis,
Vos de bello Gedeonis
Serta fertis gloriæ.

Vos columnæ deauratæ
Base, pelles purpuratæ,[2]
Galaad[3] martyrii;

---

[1] Ad Isai. xxij. 1, alludit poeta: quem locum de Sion, sive Ecclesiâ militante, omnes fere exponunt interpretes.

[2] Liber, *deauratæ.* Quod dedi, ad purpurata tentoria tabernaculi spectat. Exod. xxvii. 16.

[3] *Galaad* varie interpretantur tum Patres, tum medii æv

Per vos fractum alabastrum,[4]
Per vos cursum tenet plaustrum
Sancti Evangelii.

Vester sanguis, vestrum lumen,
Fulcimentum et bitumen
Totius Ecclesiæ,
Syon fundat et figurat,
Ornat, polit, et picturat
Formam novæ gratiæ.

Cum vos reformatis bullam[5]
Passionis et medullam
Invictæ constantiæ:
Nos firmetis ad agonem,
Et instantem passionem
Præsentis militiæ. Amen.

---

scriptores. S. Hieronymus: 'Galaad. *acervus testis: acervus testimonii: transmigratio testimonii.*' Hugo de S. Vict. de Filiâ Jephthæ: 'Galaad, *abjiciens*, sive *testimonium.*' Ego vero poetam ita intelligo, ut de *coacervato testimonio* tantorum Martyrum, (est enim de plurimis Martyribus Prosa) locutus fuerit.

[4] Alabastro carnis per Martyrium fracto, effudit se Evangelii suavitas.

[5] Locus difficillimus. Si quid video, sententia poetæ ita se habet. *Alabastrum*, sive corpus Sanctorum Martyrum, a morte *fractum* est. Non tamen ita fractum ut recomponi, *reformari*, nequeat *bulla*, sive signaculum ejus. Interea justorum animæ, hanc reformationem præstolantes, cum Deo sunt: ideoque invocantur.

CII.

IN COMMUNI[1] CONFESSORUM.

E MISSALI NARBONENSI.

SUPERNÆ Matris gaudia
Repræsentet Ecclesia;
Dum festa colit annua,
Suspiret ad perpetua.

In hâc valle miseriæ,
Mater succurrat filiæ:[2]
Hic cælestes excubiæ
Nobiscum stent in acie.

Mundus, caro, dæmonia
Diversa movent prælia:
Incursu tot phantasmatum
Turbatur cordis sabbatum.

Dies festos cognatio
Simul hæc habet odio:
Certantque pari fœdere
Pacem de terrâ tollere.

---

[1] Præclara sequentia Adamum auctorem habet.
[2] Id est, Ecclesia triumphans, ecclesiæ militanti.

Confusa sunt hic omnia,
  Spes, mœror, metus, gaudium:
Vix horâ vel dimidiâ[3]
  Fit in cælo silentium:

Quam felix illa Civitas
In quâ jugis solemnitas!
Et quam jucunda Curia
Quæ curæ prorsus nescia!

Nec languor hic, nec senium,
Nec fraus, nec terror hostium;
Sed una vox lætantium,
Et unus ardor cordium.

Illic Cives Angelici,
Sub Hierarchiâ triplici,
Trinæ gaudent et Simplici
Se Monarchiæ subjici.

Mirantur, nec deficiunt,
In illum quem prospiciunt:
Fruuntur, nec fastidiunt,
Quo frui magis sitiunt.

Illic patres dispositi
Pro dignitate meriti,

---

[3] Apocalyps. viii. 1: 'Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi mediâ horâ.'

Semotâ jam caligine
Lumen vident in lumine.

Hi sancti quorum[4] hodie
Celebrantur solemnia,
Jam revelatâ facie
Regem cernunt in gloriâ.

Illic Regina Virginum
Transcendens culmen ordinum
Excuset apud Dominum
Nostrorum lapsus criminum.

Nos ad Sanctorum gloriam,
Per ipsorum[5] suffragia,
Post præsentem miseriam
Christi perducat gratia. Amen.

---

[4] Andegav. *Hic Sanctus*, &c.

[5] Andegav. *ipsius*.

CIII.

IN COMMUNI UNIUS CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

E MISSALIBUS TRAJECTENSI ET SALZBURGENSI.

AD laudes Salvatoris ut mens incitetur humilis *a*
Sentiat hunc diem justâ de causâ celebrem, *b*
b Gaudeat et sese sic pia[1] vota promere.
c Hodie cœlorum secreta petiit lux confessorum,
c Jugiter in Choro Sanctorum splendens ut sidus amœnum;
c Et gaudium Angelis factum est ex adventu comparis,[2]
a Fuisse quem Angelum Domini constat exercituum.
d Qui, cuique suam tritici[3] dans mensuram, ad fidei caulas congregans oviculas, lupi prævidit insidias.
d Fidelis et prudens credita distribuens sic[4] dedit ad mensam Domini pecuniam, ut dignam faceret[5] usuram.

---

[1] Salzb. *dia*.
[2] Traj. *confessoris*.
[3] Traject. *tempore*.
[4] Salzb. *hic*.
[5] Unâ syllabâ mensuram justam excedit versus. Potest ergo legi, *ut digna esset usura*.

e Beatus hic[6] servus, quem cum venerit Dominus, ita inveniet:

e Probatum in terrâ super omnia statuet illum in Patriâ.

f Ad tanti Patris gloriam celebrandam clerus concinat laudem dignam, et populus lætis respondeat vocibus.

f Dicamus omnes carmen tanto Patri, (jungat se suo grex Pastori) et precibus fusisque lacrymis clamemus:

g Pastor bone, miserere Ecclesiæ, tuisque precibus refove: confer

g Opem plebi tuæ: preces intende; et pro juvamine maculas dele:[7]

In Viâ nos adjuva: colloca nos in Patriâ: redde quæ speramus bona. Amen.

---

[6] S. Luc. xii. 43: 'Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.'

[7] Ita dedi pro *dilue*, ut constaret mensura.

CIV.

IN COMMUNI[1] UNIUS CONFESSORIS.

QUEM invisibiliter
Sequitur Ecclesia,
Deus visibiliter
Facit mirabilia.
Confessorum jugiter
Vigilat custodia,
Per quos mirabiliter
Operatur gratia.
Lumbos cinxit Sanctus iste,
Et lucernam tenuit;
Pro te mundum sprevit, Christe,
Et carnem cohibuit.
Hic angustam viam vitæ
Fortiter arripuit:
Et in vitiorum lite
Bravium obtinuit.
In te Christus format templum
Spiritali quadraturâ:
In decorem dat exemplum,
Invisibili structurâ.

---

[1] Hanc prosam mihi solus præbuit Clichtovæus.

Tu splendorem præstas ecclesiis
Miraculis et signis variis:
Tu coruscas virtutum radiis:
Tu protegas nos ab insidiis. Amen.

CV.

IN COMMUNI UNIUS CONFESSORIS.

E MISSALI NIDROSIENSI.

PANGAT nostra concio in Sanctorum gloriâ *a*
Puro corde, mente piâ, laudum Christo carmina: *a*
b Qui diversa pro meritorum qualitate distribuit munera;
b Pravis pœnas, gaudia justis sempiterna in sede æthereâ.
c Ibi odor ineffabilis fragrat:
c Laus præclara incessanter exultat.
d Angelorum militia, patriarcharum prophetarumque caterva,
d Apostolorum sacer chorus, laureata martyrum quoque agmina,
e Confessorum virginumque turba,
e Nova dulci voce promunt cantica,
f Hâc quidem in die N., venerando solemnia:
f Quâ carnis exutus ergastulo regna petiit supera;
g Quo supernorum concivis factus et conviva

g Jocundatur et exultat in laud*e* et gloriâ.
h Nos ergo tanti patris pio modulo sacra concelebremus festa,
h Congratulantes ei voce Deo symphonizando mixolidica;
i Supplici corde ejus digna poscentes magnalia
i Ut Sancti prece[1] sui nostras purificet animas,
k Sanctique Spiritus repleat gratiâ,
k Quo, spirituali edocti citharâ,
Diatessaron beata diapentica[2] sensu nacta diapason citharizemus vera,
Et harmoniæ cælestis cordium fidibus proportionati summi regis conjubilemus in aulâ.
O sancte nostra, N., exaudi precamina,
Ac summo Patri repræsenta per Christum impetrata.
Laus in te sit Deo, tibique in eo gloria. Amen.

---

[1] Dedi *prece* pro *meritis*, ut metro et homœoteleuto, alias optime se habentibus satisfacerem.

[2] Hunc versum fateor me minime intelligere. Non dubito tamen quin arte musicali mystice utatur, ut consensum et proportionem quæ inter Ecclesias triumphantem et militantem locum habet, depingat. Nec inter se correspondent versus. Forsitan *cordis* pro *cordium* legendum est, et *summi* omittendum.

CVI.

IN COMMUNI UNIUS VIRGINIS.

E MISSALI NIDROSIENSI.

LAUDES debitas Deo nostro reddamus, socii,
voce præclarâ, *a*

a Qui stabilivit prudentiâ omnium creaturarum sæcula,
Et[1] hodie cum sanctis suis coronavit virginem inclytam
In polorum sedibus per palmam martyrii, N..
Unde gaudium et lætitia cœlestibus choris agitur,
Atque malignus spiritus victus inde torquetur et contristatur.

c Nunc humili prece menteque consciâ postulemus istius beneficia,
c Invictæ virginis et inviolatæ, carissimæ, dicemus ei talia;
d Tu virgo clarissima sapiens domini nostri sponsa,
d Fulgens inter agmina sanctorum Dei, O N.,[2]
e Altissimi Patris Filium pro nobis rogita,

---

[1] Qui sequuntur versus, leges Notkerianas penitus spernunt.

[2] Liber, *O Lucia:* forsitan quod in Ecclesiâ Nidrosiensi S. Lucia prima post inceptum annum occurrit Virgo, cujus sequentia e Communi Virginum canitur.

e Qui fragilis carnis propter nos induit pondera,
f Ut in perpetuum nobis impendat[3] sempiterna regna,
f Ubi concinamus semper refulgentes: Alleluia.

CVII.

IN COMMUNI VIRGINUM.

EX MISSALI TORNACENSI.[1]

VIRGINES castæ Virginis[2] summæ decus præcinentes, *a*
a Cæteras quoque condignas laude post hanc venerantes,
a Psalmis et Hymnis canticis dignis sibi colloquentes,
a Solvant in istis debitæ laudis hostias solennes.
b Hæc est a dextris assistens Regis illa Regina;

---

[3] Unâ syllabâ numerum excedit versus.

[1] Ista sequentia, mirâ quâdam suavitate conspicua, quamvis in nimiam descriptionis luxuriam hic illic (e. g. Vv. 18. 30) prorumpat, non dubito quin Godeschalci sit. Ejus enim maxime sapit ingenium: prorsus Biblicâ utitur oratione:—versus æquo longiores producit:—et cum carmine Godeschalciano de unâ Virgine, *Exultent filiæ Sion in Rege suo* (Daniel. ii. 48) mirum in modum consentit.

[2] Liber, *Virgines.*

b Juncta[3] latere sola cum Rege præcedit ipsa,
b Auratâ vestis varietate circumamicta.[4]
b Tanquam ductricem[5] sequitur illam quæque beata;
c Post eam adductæ Virgines devotæ Regi sunt oblatæ, [Christo[6] consecratæ.]
c Tales erant Thecla, Agnes, Katerina, Agathes et Martha.
d Filiæ Tyri[7] munera ferentes,
d Et in his Regis vultum deprecantes,
d Hostias habent cunctis puriores,
d Corpore mundæ,[8] corde sanctiores.
e Holocaustum Domino offerunt ex integro Virgines castæ, corpore mundæ, immortalem Sponsum eligentes Christum.

---

[3] Manifeste se prodit ulcus: cui tamen mederi prorsus nequeo.

[4] Vix est quod moneam poetam et hic et antea Psalmum xlv. pene transcripsisse.

[5] *Ductricem.* Ita scripsi, metro postulante, pro *ducem.*

[6] Hæc verba metri causâ abesse debent: et glossam sapiunt in clausulam illam, *Regi sunt oblatæ.* Sed tamen, quum prima pars hujus carminis in quaterniones distributa sit, mihi quondam in mentem venit et ex his duobus versibus quaternionem efficere, ita eos constituendo:

Post eam adductæ Virgines devotæ
Regi sunt oblatæ, Christo consecratæ:
Tales erant Thecla, Agnes, Katerina,
Agathes et Martha, *Barbara, Lucia.*

(vel aliud quiddam simile addendo.)

[7] Optime ad Psalm. xlv. 13. alludit Godeschalcus. *Munera* enim *Tyri* purpura:—quâ sanguis adumbratur Martyrum.

[8] Liber, sine sensu, *mundi.*

e O felices nuptiæ, quibus nullæ maculæ, nulli dolores partus sunt graves, nec pellex timenda, nec nutrix molesta!

f Lectulos harum Christo vacantes Angeli vallant custodientes ne quis incestus polluat[9] illas: ensibus strictis arcent immundos.

f Dormit in istis Christus cum illis: felix hic somnus, requies dulcis: quo confovetur virgo fidelis inter amplexus Sponsi cælestis.

f Dexterâ Sponsi sponsa complexa[10] capite lævâ dormit subnixa: pervigil corde corpore dormit et Sponsi grato sinu quiescit.

f Approbans somnum Sponsus beatus inquietari prohibet illum: ne suscitetur, inquit, dilecta: dum ipsa volet dormiat ita.

g Hic ecclesiastici flos est ille germinis, tam rosis quam liliis multiplex innumeris, quorum est fragrantiis ager Sponsi nobilis, naribus et oculis æque delectabilis.

g Ornatæ tam byssinâ quam veste purpureâ, lævâ tenent lilia, rosas habent dexterâ, et coronâ gemmeâ redimitæ capita Agni sine maculâ percurrunt itinera.

h His quoque floribus semper recentibus Sanctorum intexta capiti sunt serta.

---

9 Liber, *timeret.*

10 *Complexa.* Sensu passivo. Ad Cantic. ii. 6. alludit poeta.

h His Agnus pascitur, et[11] his reficitur: hi[12] flores electa sunt illius esca.
h Hinc choro talium vallatus agminum hortorum amœna discurrit hâc illâc.
i Qui non comprehensus ab his nunc elapsus,
i Quâdam quasi fugâ petulans exultat.
k Crebros saltus dat hic Agnus inter illos discurrendo,
k Et cum ipsis requiescit in fervore meridiano:[13]
l In earum pectore cubat in meridie,
l Inter mammas Virginum[14] collocans cubiculum.
m Virgo quippe cum sit ipse Virgineque Matre natus,
m Virginales super omnes amat et quærit recessus:
n Somnus illi placidus in earum sinibus,
n Ne qua forte macula sua fœdet vellera.
o Hoc attende canticum devotarum Virginum insigne collegium,
o Quo nostra devotio majore se studio templum ornet Domino.

---

[11] *Et*, metro postulante, addidi.

[12] Liber, *his*.

[13] Tetrasyllabon est verbum: *meridiano*.

[14] Excusandus nec tamen laudandus est poeta: cum sub formâ Agni Christum hic depingat.

CVIII.

IN COMMUNI VIRGINUM.

E MISSALI PICTAVIENSI.

FULGET dies celebris,
  Quâ exuta tenebris
Et mundi illecebris,
Cujus sunt solemnia
Virgo hæc ad gaudia
Migravit cælestia.

Hæc est Virgo sapiens,
Quæ mundum despiciens
  Et mundi blanditiem,
Pro labore præmium,
Pro mœrore gaudium
  Possidet, et requiem.

Felici commercio
Prudenter exilio
  Patriam proposuit:
Et per virtutum viam
Ad eandem Patriam
  Pertingere meruit.

O virtutum optima,
Angelis finitima,

Corporis integritas:
Et mentis virginitas!
Offensa conciliaris,
Dissipata sociaris,
Angelos hominibus,
Eterna mortalibus!

Per hanc solam, multi stolam
Consecuti et induti
  Sunt eternæ gloriæ:
Hæc est schola cœli sola,
Disciplina et doctrina
  Cælestis militiæ.

Hanc docuit, exhibuit
In homine de Virgine
  Nato Dei Filius.
Cujus ortus Vitæ portus:
Cujus mater Virgo, Pater[1]
  Fœminæ est nescius.

O felicem Matrem illam
Quæ fatetur se ancillam,
Dei mater et filia,
Dei repleta gratiâ!
Quæ contra naturæ jura
Creatorem creatura,

---

[1] S. Agnetis sententiam prope ad verbum expressit poeta.

Plasma suum principium,
Virgo peperit filium.
Hanc sacer chorus Virginum
Imitatur et hominum;
Despiciunt et fugiunt
  Pro Christo terrestria.
Hujus adepta gloriam,
Eternitatis Patriam,
Virgo gaudes, cujus laudes
  Celebrat Ecclesia.
Pro cujus victoriâ
Cantemus Alleluia. Amen.

CIX.

IN COMMUNI VIRGINUM NON MARTYRUM.

E MISSALI REDONENSI.[1]

VIRGINES egregiæ,
  Virgines sacratæ,
Coram vestri facie
  Sponsi coronatæ,
In eternâ requie
  Sursum sublimatæ,[2]
Canticum lætitiæ
  Domino cantate.

---

[1] Habetur et in Narbonensi. [2] Narbon. *Sublevatæ.*

Castitatis lilium
  Olim custodistis
Propter Dei Filium
  Cüi placuistis:
Templum Sancti Spiritus
  Esse voluistis:
Tactus et concubitus
  Ideo fugistis.

Flore pudicitiæ
  Vestræ reservato,
Carnalis lasciviæ
  Motu refrenato,
Debito munditiæ
  Præmio donato
Assidetis sociæ
  Virginali Nato.[3]

Non estis de fatuis
Quæ cum vasis vacuis
  Christum præstolantur;

---

[3] Quæ sequuntur, omittit Narbonense: quorum vice hæc habet:

Ubi Sponsi consortia,
Amplexus et solatia,
  Obtinetis in requie.
Ad quam fons indulgentiæ
Nos perducat post anxiæ
Vitæ hujus stadia,
Vestra per suffragia. Amen.

Immo de prudentibus,
Quæ plenis lampadibus
  Bene præparantur.

Fatuis Virginibus
Oleo carentibus
  Sponsus est dicturus:
Vobis non aperiam;
Prudentes recipiam
  Præmium daturus.

N., virgo veneranda,
Cujus festa celebranda
  Redierunt annua,
Casta, prudens, et fidelis,
Nobis impetrare velis
  Gaudia perpetua. Amen.

CX.

IN COMMUNI UNIUS VIRGINIS NON MARTYRIS.

E MISSALI REDONENSI.

DE quinque prudentibus
  Canamus Virginibus,
  Quæ sumpserunt oleum;
Quarum carnes azymæ,
Et fideles animæ
  Exultarunt in Deum.

Harum summa gloriæ
Nitor conscientiæ;
  Nubunt Filio Dei;
Ut Rachel amabiles
Et desiderabiles
  Totæ factæ sunt ei.

Agnum Sponsum Virginum,
Jesum Christum Dominum
  Sequuntur quo ierit:
Novum cantant canticum,
Cœlicum, angelicum,
  Quod miranda fecerit.

Albas habentes stolas,
Aureas aureolas,
Sponso placent plurimum:
Nescit homo pretium
Vitæ continentium
  Qui in terrâ vivit:
Süave viventium
Grex fidelis omnium
  Virginum hoc scivit:
Qui exorent Dominum
Pro salute hominum. Amen.

CXI.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

E MISSALI AUGUSTO-VINDELICENSI.

PSALLAT tuæ gloriæ ecclesia Mater illibata, *a*
Et Virgo sine rugâ[1], in honorem hujus ecclesiæ. *a*
b Hæc domus aulæ cœlestis probatur particeps,
b In laude Regis cœlorum et ceremoniis
c Et lumine continuo emulans civitatem sine tenebris,
c Et corpora in gremio confovens animarum quæ in cœlo vivunt.
a Quam dextera protegat Dei ad laudem ipsius diu.
d Hic novam prolem gratia parturit fœcunda Spiritu Sancto;
d Angeli cives visitant hic suos, et corpus sumitur Jesu.
e Fugiunt universa corporis nociva;
e Pereunt peccatricis animæ crimina.
f Hic vox lætitiæ personet:
f Hic pax et gaudia resonent:
a Hâc domo Trinitati laus et gloria semper resultent.

---

[1] Addidi *in*, ut constaret metrum.

CXII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

EX MISSALIBUS TRAJECTENSI ET ANDEGAVENSI.

REX Salomon fecit templum :
Cujus[1] instar et exemplum
Christus et Ecclesia :
Hujus est hic imperator,
Fundamentum et fundator,
Mediante gratiâ.
Quadra[2] templi fundamenta,
Marmora sunt instrumenta
Parietum paria.
Candens flos[3] est castitatis,
Lapis quadrus in prælatis
Virtus et constantia.
Longitudo, latitudo,[4]
Templique sublimitas,

---

[1] Andeg. *Quorum.* [2] Andeg. *Quadri.*
[3] Andeg. *et flos.*

[4] Ita quoque Hugo de S. Victore (*de Claustro animæ* 17.) 'Longitudo domus, est longanimitas boni operis in exilio hujus peregrinationis. Latitudo est charitas, quæ non tantum in prosperitate gaudet amici, sed etiam damno compatitur inimici. Celsitudo altitudinis est spes de præmio æternæ celsitudinis.'

Intellecta fide rectâ
  Sunt, Fides, Spes, Caritas.
Sed tres partes sunt in templo,
Trinitatis sub exemplo,
  Ima, summa, media:
Prima[5] signat vivos cunctos,
Et secunda jam defunctos:
  Redivivos tertia.
Sexagenos[6] quoque per se,
Sed et partes universæ
  Habent lati cubitos.[7]
Harum trium tres conventus
Trinitati dant concentus
  Unitati deditos.[8]
Templi cultus extat multus;
Cinnamomus odor domus,
  Myrrha, stacte,[9] casia:
Quæ bonorum decus morum,
Atque bonos precum sonos

---

[5] Traject. *Ima signant.*

[6] Andeg.: '*Sexaginta duæ per se*
Et bis tantum universæ
Habent alti cubitos.'

[7] Refertur ad Sanctum Sanctorum, de quo, i. Reg. vi. 2. Id enim sexaginta cubitos habebat per se, id est, ratione tam altitudinis quam latitudinis et longitudinis captâ. Sed *partes universæ* idem habebant quod latitudo: id est viginti cubitos.

[8] Andeg. *debitos.*

[9] Andeg. perperam, *stantem.*

Sunt significantia.
In hâc casâ cuncta vasa
Sunt ex auro de thesauro
Præ-electo penitus:
Nam magistros et ministros
Decet doctos et excoctos
Igne Sancti Spiritus.
Sic ex bonis Salomonis,
Quæ Rex David præparavit
Fiunt ædificia.
Nam in lignis res[10] insignis
Vivit Tyri, cujus viri
Tractant artificia.[11]
Nam ex gente Judæisque,
Sicut templum ex utrisque,
Conditur Ecclesia.
Christe, qui hanc et hos unis,
Lapis huic et his communis,
Tibi laus et gloria. Amen.

---

[10] Traject. *Rex.* [11] Traject. *ædificia.*

CXIII.

DE DIE DOMINICA.[1]

OMNES una celebremus,
Celebrando veneremus,[2]
Christi nunc solemnia.
Ecce dies magnus Dei,
Dies summæ requiei,
Dies est Dominica.
In quâ mundus sumpsit exordium,
In quâ vita cepit initium,
Hæc est dies:
In quâ Christus contrivit inferos,
Plasma suum vexit ad superos,
Hæc est dies:
In quâ pax Apostolis,
Datur clausis januis
A divino munere.
In quâ Sancti Spiritus
Sunt repleti gratiâ
Doctores Ecclesiæ.
In eâdem sumitur
Tuba Evangelii
Prædicandi populo.

---

[1] Hanc sequentiam non nisi ex Clichtovæo novi.

[2] Clicht. *Veneremur*, ut et post, ad v. 28. Sed quum, v. 25, verbo *venero* utatur poeta, id et hic restitui.

Est in hâc prohibitum
Ne fiat pontificum[3]
  Nisi consecratio.
Ergo debet venerari,
Et devote celebrari,
  Dies hæc sanctissima.
Celebrantes veneremus,
Et devote postulemus
  Ut die novissimâ[4]
In eternâ requie,
Nostræ vivant animæ
  Redemptoris gratiâ. Amen.

CXIV.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

E MISSALI NIDROSIENSI.

SANCTÆ Syon adsunt encænia;
  Desponsatur præsens ecclesia.

Stans amicta virtutum gloriâ,
Passim organa sonant dulcia.

Rorant cæli misericordiâ;
Pluunt nubes, stillat justitia.

---

[3] Clichtov.: 'Tam celebris et sancta (inquit) est dies Domini, ut episcoporum consecratio non nisi in die Dominicâ fieri debeat, secundum canonicam sanctionem.'

[4] Clichtov. *novissimo*.

Sponsus adest, natus ex Mariâ,
Sanans mundum indultâ veniâ.

Jungit sibi Christus Ecclesiam;
Septiformem dat ei gratiam.

Sacramenta fiunt paschalia:
Proponuntur vitæ ciboria.

Ad has Agni cœlestis nuptias
Vocat suos Paterfamilias.

Adest Abel, fert innocentiam;
Intrat Noe, portat justitiam.

Melchisedec, pro sacerdotio
Benedicens, sedet in medio.

Hic Abrahæ fidei veritas;
Spes Isaac, et Jacob caritas.

Stat Möyses cornutâ facie;
Solem tenens triumphat Josue.

Puer David trucidat Goliam:
Rex Psalmorum pangit melodiam.

Simul astant Lex et Prophetia,
Confirmata per Evangelia.

Fœderantur terris cælestia:
Complet Deus omnibus omnia.

CXV.

IN OFFICIO BEATÆ MARIÆ V.

E MISSALI SARISBURIENSI.

AVE mundi spes Maria;
Ave mitis, ave pia:
Ave plena gratiâ:
Ave, Virgo singularis,
Quæ per rubum designaris,
Non passum incendia.
Ave rosa speciosa,
Ave Jesse virgula:
Cujus fructus nostri luctus
Relaxabat vincula.
Ave carens simili:
Mundo diu flebili
Reparasti gaudium:
Ave cujus viscera
Contra Mortis fœdera
Ediderunt Filium.
Ave virginum lucerna,
Per quam fulsit lux superna,
His quos umbra tenuit:
Ave Virgo de quâ nasci
Et de cujus lacte pasci
Rex cælorum voluit.

Ave gemma cæli luminarium:
Ave Sancti Spiritus sacrarium.
O quam mirabilis et quam laudabilis
Hæc est virginitas:
In quâ per Spiritum facta Paraclitum
Fulsit fœcunditas.
O quam sancta, quam serena,
Quam benigna, quam amœna,
  Esse Virgo creditur!
Per quam servitus finitur,
Porta cæli aperitur,
  Et libertas redditur.
O castitatis lilium,
Tuum precare Filium,
Qui salus est humilium,
Ne nos pro nostro vitio
In flebili judicio
Subjiciat supplicio:
Sed nos tuâ sanctâ prece,
Mundans a peccati fæce,
Collocet in lucis domo:
Amen dicat omnis homo.

CXVI.

IN OFFICIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

E MISSALIBUS SARISBURIENSI ET ANDEGAVENSI.

MISSUS Gabriel de cœlis,
  Verbi bajulus fidelis,
Sacris disserit loquelis
  Cum beatâ Virgine.
Verbum bonum et süave
Pandit intus in conclave,
Et ex *Evâ* format[1] *Ave*,
  Evæ verso nomine.

Consequenter juxta pactum
Adest Verbum caro factum:
Semper tamen est intactum
  Virginale[2] gremium.
Patrem pariens ignorat,
Et, quam homo non deflorat,
Nec torquetur nec laborat
  Quando parit Filium.

Signum audis novitatis:
Crede tantum et est satis:

[1] Sarisb. *formans*. [2] Sarisb. *puellare*.

Non est tuæ facultatis
  Solvere corrigiam.
Grande signum et insigne
Est in rubo et in igne;
Ne appropiet indigne
  Calceatus quispiam.

Virga sicca sine rore,
Novo ritu, novo more,
Fructum protulit cum flore;
  Sic et Virgo peperit.
Benedictus talis fructus;
Fructus gaudii, non luctus;
Non erat Adam[3] seductus
  Ex hoc si gustaverit.

Jesus noster, Jesus bonus,
Piæ matris pium onus,
Cujus est in cœlo thronus,
  Nascitur in stabulo.
Qui sic est pro nobis natus
Nostros deleat reatus:
Quia noster incolatus
  Hic est in periculo. Amen.

---

[3] Andegav. *Non erit homo.*

CXVII.

IN MISSA PRO BENEFACTORIBUS.

EX MISSALI MS.[1]

AVE, Crucis dulce lignum,
Ave, triumphale signum,
Quod solum fuisti dignum
Sustinere Dominum:
In te Christus exaltatus
Mortem vicit ad hoc natus:
Ut Isaac immolatus
In salutem hominum.

Ave, scala peccatorum,
Quâ ascendit Rex cœlorum,
Ut ad choros Angelorum
Homo sic ascenderet;
In te vitam reparavit
Auctor vitæ, proles David,
Et sic se humiliavit,
Ut mundum redimeret.

Ave, signum novæ legis,
Et vexillum summi Regis,

---

[1] Acad. Cantab. Dd. i. 15.

In te culpas sui gregis
  Bonus Pastor abstulit:
Ipsum habeamus ducem
Ad cælestis regni lucem,
Qui cruore suo crucem
  Consecrare voluit. Amen.

CXVIII.

IN COMMEMORATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

E MISSALI NIDROSIENSI.

CŒLUM Deus inclinavit,
  Et descendit et intravit
Vas electum stirpe David
  Quod ante promiserat;
Per quod Verbo maritavit
Carnem, cüi subjugavit
Cœlum ad quod reportavit
  Ovem quæ perierat.

Miro modo nos dilexit,
Qui pro nobis se despexit,
Dum sub nostrâ carne texit
  Suam magnitudinem.

Unde mori non neglexit,
Qui pro nobis resurrexit,
Et resurgens nos revexit
   Ad vitam per Virginem.

Gaude Virgo, mater Christi,
Quæ per aurem concepisti,
Nec in partu pertulisti
   Pudoris dispendium:
Quia Deum genuisti
Dum sic nostra tu fuisti
Salus, plebi confer isti
   Tuum patrocinium.   Amen.

Quæ sequuntur prosæ, cum non ante ad manus pervenerint, quam prior pars libri prelum subiisset,—ideo hic extra ordinem positæ sunt.

CXIX.

IN EPIPHANIA[1] DOMINI.

QUEM non valent[2] propriâ magnitudine *a*
Cœli, terræ, atque maria amphisepire, *a*
b De virgineo natus utero ponitur in præsepio.
b Ut propheticus sermo nunciat, stant simul bos et asinus:
c Sed oritur stella lucida, præbitura Domino obsequia,
c Quam Balaam ex Judaicâ orituram dixerat prosapiâ.
d Hæc Magorum oculos fulguranti lumine præstrinxit providos;
d Atque ipsos prævia ad Christi cunabula perduxit lucida
Offerentes Regi aurum, thus, et myrrham munera.
e Ipsa sed tamen mysticis non carent munera figuris:
e Au*rum* ut Regi, thus ut Deo et magno offerunt Sacerdoti,
Atque myrrham in sepulturam.

---

[1] Hanc prosam ex Clichtovæo solo habui.
[2] Dedi *valent*, pro prævalent, ut constaret metrum.

CXX.

IN COMMEMORATIONE SANCTÆ CRUCIS.

E MISSALI NIDROSIENSI.

VENEREMUR crucis lignum,
Quod hâc die fuit dignum
Ferre sæcli pretium:
Hoc est namque sacrum signum
Per quod vincimus malignum,
Et fugamus vitium.

Primus parens ligni fructum
Carpens, generalem luctum
Posteris promeruit:
Ligno fixus in hoc Deus
Damna, velut homo reus,[1]
Innocens restituit.

Salve lignum triumphale!
Mundi vera[2] salus vale!
Tu vexillum es regale:
Tu nos hinc per modum scalæ
Ducas ad cœlestia.

---

[1] Liber, *Ligno fixus hoc Deus damna velut reus.*

[2] Ex sequentiâ Adamianâ, *Crucis laudes extollamus,* hunc versum mutuatur poeta.

Jesu, crucis consecrator[3],
Morte mortis triumphator,
Nos per tuam passionem
Duc præsentem post agonem
Ad eterna gaudia. Amen.

CXXI.

DE SANCTA TRINITATE.

E MISSALI NIDROSIENSI.

QUICUNQUE vult salvus esse,
Ipsum fidem est necesse
Servare Catholicam.
Hæc est fides quæ servatur
Et per vocem prædicatur
Cunctis Apostolicam.

Unus est in Trinitate,
Trinus est in Unitate
Deus creans omnia:
Trinus in personis Deus,
Erubescat hinc Judæus,
Unus in essentiâ.

---

[3] Ita quoque Adamus:

Assistentes crucis laudi,
Consecrator crucis, audi.

Est sine principio Pater in essentiâ,
Verbum de principio par Patri potentiâ,
Utriusque Spiritus est convenientia.

Pater est ingenitus de se Verbum generans,
Filius Unigenitus, Patri non degenerans,
Spiritus non genitus ab utroque radians.

Nulla multiplicitas in Divinitate,
Personarum paritas est in Trinitate,[1]
Indivisa Trinitas est in Unitate.

Patri natus similis Patris est imago,
Sed non rei facilis hujus est indago,
Sit in fide stabilis humana propago.

Non est necessarium nostræ parvitatis
Velum alto tollere summæ Trinitatis,
Ubi nostra sæpius est concussa ratio,
In errorum fluctibus vix enavigatio.

Absolvamus anchoram a profunditate,
Et laxemus carbasa cum securitate,
Ubi navigatio levi patet rate,
Ubi portus trahitur in tranquillitate.

---

[1] Liber, *Unitate.*

CXXII.

DE SANCTA TRINITATE.

E MISSALI NIDROSIENSI.

VOCE jubilantes magnâ,
Regi summo devote per sæcula, *a*
a Personemus maxima laudum vota.
b Cœlum, sidera, luna, sol, et omnia ætherea,
b Tellus, aer, et mare, fontes et[1] flumina.
c Omnis creatura concelebrare non desinit,
c Laude continuâ, cuncta creantis magnalia.
d Majestas cujus est unica decenter in Patris gloriâ.
d Quem laudant superna jugiter agmina voce dulcisonâ
e Qui proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus, Hosanna,
e Quem decet omnis laus, honor, virtus, salus et gloria.
Aurem tuam nobis inclina;
f Supplicibus veniam tu dona,
f Ut te collaudemus in sæcula. Amen.

---

[1] Excidit *profunda*, vel aliquid simile.

CXXIII.

DE SANCTA TRINITATE.

E MISSALI NIDROSIENSI.[1]

JUBILEMUS cordis voce
nostro salutari,
jubilemus et psallamus
nunc[2] omnipotenti.
Resonet factura sua
quantâ valet laude:
resonet jocunda suo
[laudem] creatori.
Qui creavit omnia
coeternâ Prole;
qui fecit et omnia
Spiritu dictante.
Qui munivit paradisum
lucidis ministris;
qui depinxit firmamentum
sole, lunâ,[3] stellis.

---

[1] Rhythmum hujus prosæ permirum esse vel inspicienti patet. Homœoteleuton enim quo clauduntur versus, quamvis in trochæo terminentur, simplex est, non duplex: ideoque cum accentu pugnat.

[2] Addidi *nunc*, *laudem*, ut constaret versus.

[3] Liber, *sua luna stellis.*

Qui ornavit aerem
volucrum catervis;
qui vestivit aridam
frondibus et herbis.
Qui ditavit Thetidem
piscibus marinis;
locupletem fecit terram
quadrupedum formis.
Qui deducit super terram
rivulos aquarum;
qui suspendet subter astra
nimbos pluviarum.
Qui vernali facit flatu
flores redimiri;[4]
autumnali sole coctos
fructus colorari.
Albicare late campos
hiemali nocte,
cum flavescunt late messes
estivali luce.
Qui statuit hominem
regem creaturæ;
qui si vellet, immortalis
potuisset esse.

---

[4] Liber, *reddere.* Cum tetrasyllabo passivo opus sit, ex conjecturâ dedi.

Sed de regno exulavit
  suâ vanitate,
  quem reduxit Dei Verbum
  suâ pietate.
Lauda plasma redemptorem
  viscerum medullis,
  ut rejungi merearis
  civibus supernis. Amen.

CXXIV.

DE CORPORE CHRISTI.

E MISSALI NIDROSIENSI.

HODIERNÆ lux diei
Sacramenti vere rei
  Renovat memoriam;
Hujus virtus sacramenti
Mentem sanat et sumenti
  Digne confert gratiam.

Hoc promissum ab eterno
Die patet hodierno
  Nobile viaticum:
Hoc in manna figuratum
Nobis est e cœlo datum
  Munus honorificum.

Hic est panis quem ostendit
Möyses, ut lex prætendit,
  In deserto populis:
Iste panis angelorum
Quem in cœnâ rex cœlorum
  Præbuit discipulis.

Panem hunc quo vivit mundus:
Quem si sumas culpâ mundus,
  Mentem intus reficit:
Ad credendum quod non vides
Te confirmet vera fides,
  Nam hæc sola sufficit.

Salve panis immortalis,
Cibus dulcis his quos alis:
  Salutaris hostia,
Qui das escam te timenti,
Potum verum sitienti,
  Nos hoc cibo socia. Amen.

CXXV.

IN EXITU ISRAEL.[1]

QUANTUS clamor et concentus,
Quantus ardor est inventus,
Exeunte Israel.

Gaudium non absque fletu,
Spes ubique sine metu,
Exeunte Israel.

Tum Sophistæ confremebant,
Satrapæque corridebant,
Exeunte Israel.

Nos nil curabamus eos,
Gentium spernentes Deos,
Exeunte Israel.

Crux in corde, cor in cruce,
Signum nobis Christo duce,
Exeunte Israel.

---

[1] Quum ad colophonem adductum fuisset opus, ecce sequentiam a se compositam misit Vir Cl. mihique amicissimus, Alexander J. B. Hope. Dignissima videtur quæ cum aliis legatur, tam verborum dispositione, quam theologicâ doctrinâ admirabilis.

Mare Rubrum, latum mare,
Nobis iter salutare,
Exeunte Israel.

Petra lymphas destillabat,
Escas cœlum irrorabat,
Exeunte Israel.

Petra Christi latus scissum,
Esca Christi corpus missum,
Exeunte Israel.


Die nubes, nocte lumen,
Velum cœlum, lumen Numen,
Exeunte Israel.

Nubes æstûs ab ærumnâ
Arx, ac lucis dux columna
Exeunte Israel.

Tu nos mannâ irrorato,
Tu nos petrâ satiato,
A te domum revocato,
Et a morte et peccato,
Exeunte Israel. Amen.


APPENDIX.

I. Sequentia in Dedicatione Ecclesiae.




II. Sequentia de B. M. V.




pre-cum ſa - cri - fi - ci - a. Per te De-um ad - - it re-us
ad quem per te ve - nit De - us am-bo-rum tu me - di - a.
Nec ab-hor - re pec - ca - to-res ſi - ne qui-bus nunquam fores
tan - to dig - na fi - li - o. Si non eſ - ſent re - di-men-di,
nul - la ti - bi pa - ri-en-di re - demp - to - rem ra - ti - o.
Sed nec Pa - tris ad con-ſes-ſum ha - bu-is-ſes huc ac-ceſs-um
Si non ex te gen - i-tum es - ſet i - bi po - ſi-tum. Vir-go
Vir - go ſic pro-mo-ta cau - ſâ nos-tri nos-tra vo-ta promo-
ven-da ſus-ci-pe coram summo Prin - ci-pe. A - - - men.

111. Sequentia Alleluiatica.

Tonus 1.




ni-tas cau-ma ge-lu nix pru-i-næ ſal-tus ne-mo-ra pangant
al-le-lu-ia. Hinc va-ri-æ vo-lu-cres cre-a-to-rem lau-di-bus
con-ci-ni-te cum al-le-lu-ia. Aſt il-lic re-ſpon-de-ant
vo-ces al-tæ di-ver-ſa-rum be-ſti-a-rum al-le-lu-ia. Is-tinc
mon-ti-um cel-ſi ver-ti-ces so-nent al-le-lu-ia. Il-linc val-li-
um pro-fun-di-ta-tes psal-lant al-le-lu-ia. Tu quo-que ma-ris
ju-bi-lans a-byſs-e dic al-le-lu-ia. Nec-non ter-ra-rum
mo-lis im-men-ſi-ta-tes al-le-lu-ia. Nunc om-ne ge-nus
hu-ma-num lau-dans ex-ul-tet al-le-lu-ia. Et cre-a-to-ri


gra-tes fre-quen-tans con-ſo-net al-le-lu-ia. Hoc den-i-que
no-men au-di-re ju-gi-ter de-lec-ta-tur al-le-lu-ia.
Hoc e-ti-am car-men cœ-les-te com-pro-bat ip-ſe
Chriſt-us al-le-lu-ia. Nunc vos o ſo-cii can-ta-te
læ-tan-tes al-le-lu-ia. Et vos pue-ru-li re-ſpon-de-te
ſem-per al-le-lu-ia. Nunc om-nes ca-ni-te ſi-mul al-le-
lu-ia Do-mi-no al-le-lu-ia Chris-to Pneu-ma-ti-que
al-le-lu-ia. Laus Trin-i-ta-ti e-ter-næ al-le-lu-ia al-le-lu-ia
al-le-lu-ia al-le-lu-ia al-le-lu-ia al-le-lu-ia.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 16, lin. 7. Legendum est *Baläamitica,* quippe quod τῷ *menses producere* respondeat.

— 35. Hunc Hymnum ABCdarium esse nemini non patet.

— 39, notula 7 subsequenti versu conjungenda est.

— 55, not. 1. Literis monuit me Vir Reverendus Rich. Trench, nil minus, se judice, in animo poetam habuisse. Is enim ad Philipp. ij. 6, referendum censet versum, præsertim cum SS. Patres tam sæpe "*rapinam*" Evæ cum eo loco conferant.

— 59, lin. *o.* Expungendum est punctum post *canamus.*

— 95, not. 10. Pro lxxxviij. legendum est xcj.

— 97, lin. 8. Pro *l,* legendum est *i.*

— 127, lin. 12. Bene Clichtovæus : Sicut arca tria potissimum continebat sacra mysteria, tabulas legis, virgam Aaron floridam, et urnam cœlesti mannâ plenam, ita et sanctissima Virgo tria attulit nobis charismata, novæ legis lationem, novum sacerdotium et cœlestis cibi dulcedinem.

— 136, lin. 4. Pro *motæ* legendum est *molæ.*

— 144, lin. 3. Pro *Breviario* legendum est *Missali.*

— 150, lin. 7. Trenchius lectionem Miss. Ratisbonensis, *O somnum gratiæ,* bene se habere contendit. Somnum scilicet quo tenebantur Apostoli non secundum naturam, sed divinitus missum fuisse.

P. 160, lin. 9. *Acceptâ cautione sacramentorum*, etc. Alluditur ad explicationem parabolæ, quæ cautionem de sacramento pœnitentiæ intelligit. Nequit enim peccator innocentiam, quam debuit, suo Domino reddere: ideoque, ceu minorem summam, pœnitentiam reddit.

— 178, lin. 16. Ante *In te* inserenda est not. 7.

— 187, lin. 16. Hæc omnia de S. Renato, ideo dicto, S. Maurilii in Sede Andegavensi successore, explicanda sunt. Fuse de eo Sequentia Missal. Andegavensis in ejus Festo, d. xij. Novemb.

— 226, lin. 14. *Purpuratæ* sed melius foret *rubricatæ:* quod ipsissimum est Vulg. Ed. verbum.

— 227, not. 5. Aliter explicat Trenchius. Duas partes Dominicæ Passionis fuisse: *medullam*, sive interiorem quâ vicit,—*bullam*, sive exteriorem, quâ mortem passus est. Hanc Passionem SS. Martyres imitari, vel *reformare.* Quamvis ergo cæsi fuerint, vivunt et regnant. Quod et mihi placet, ideoque nostra indicta sunto.

Quum non prius mihi licuit paucas sequentias nobis et Clichtovæo communes cum eo conferre, quam ad Seq. LXV. ventum fuisset, præcipuas e variis lectionibus hic damus: nostram communi, Clichtovæanam *Italico* charactere notantes.

I. lin. ult. Omittit Clicht. mox.

XI. 2. Eia,—*Pia.*

18, 19. Quam,—*Quot.*

XXVII. 8. Et misit eos in omnem mundum baptisare animas,—*Et misit eos in mundum baptisare cunctas animas.*

20, 24. Cum Miss. Pictav. consentit Clicht.

26. Petimus,—*Quæsumus.*

P. 28. Cum Miss. Sarisb. consent. Clicht. Perperam.

XXVIII. 4. Omnium,—*Hominum.*

XXXI. 24. Hæc unum,—*Hoc una.*

39. Creat,—*Causat.* Quod melius.

51. Insolenter,—*Insolerter.*

53. Attendat,—*Declinat.*

XXXVI. 7. Lucem,—*Fidem.* Magis Adamo consonum esset, *petram.*

23. Cadit,—*Currit.*

31. Mens secreta, mens virilis,
Cujus Patris vita vilis.
Mens secura, mens virilis,
Cüi præsens vita vilis. Quod placet.

XLIX. 31. Tractans,—*Trahens.*

59. Allegio,—*Collegio.*

63. Peccatores (Ex conjecturâ proposui petitores),—*Precatores.*

LVII. 2. Virginum,—*Virginis.*

3. Nævo,—*Nodo.*

18. Et illustrans,—*Circumlustrans.*

INDEX.

Quæ literam C. affixam habent, eæ et apud Clichtovæum habentur Sequentiæ.

History of the Inductive Sciences. By W. Whewell, D.D., F.R.S., Master of Trinity College, Cambridge. Second Edition, revised. Three Vols. £2 2s.

Philosophy of the Inductive Sciences. By the same Author. Second Edition. Two Volumes. Octavo. 30s.

Indications of the Creator—Theological Extracts from History and Philosophy of Inductive Sciences. By the same. 5s. 6d.

Elements of Morality. By the same. Cheaper Edition. Two Volumes. 15s.

Leaves from the Note-book of a Naturalist. By W. J. Broderip, F.R.S. Reprinted from 'Fraser's Magazine.' 10s. 6d.

History of the Royal Society, compiled from Original Documents. By C. R. Weld, Assistant-Secretary. Two Volumes. Octavo. 30s.

The Holy City; Historical, Topographical, and Antiquarian Notices of Jerusalem. By G. Williams, B.D., Fellow of King's College, Cambridge. Second Edition, with numerous Illustrations and Additions, and a Plan of Jerusalem. Two large volumes. £2 5s.

*** The Plan is published separately, with a Memoir, 9s.; or Mounted on Rollers, 18s.

History of the Holy Sepulchre. By Professor Willis. Reprinted from Williams's Holy City. With Illustrations. 9s.

History of the Christian Church. By the late Professor Burton. Cheaper Edition. 5s.

History of the Church of England. By T. Vowler Short, D.D., Bishop of St. Asaph. Fifth Edition. Octavo. 16s.

History of the English Reformation. By F. C. Massingberd, M.A., Rector of South Ormsby. Second Edition. 6s.

Ullmann's Gregory of Nazianzum. A Contribution to the Ecclesiastical History of the Fourth Century. Translated by G. V. Cox, M.A. 6s.

Neander's Julian the Apostate and his Generation: an Historical Picture. Translated by G. V. Cox, M.A. 3s. 6d.

Dahlmann's Life of Herodotus, drawn out from his Book. With Notes. Translated by G. V. Cox, M.A. 5s.

Literature of the Church of England; Specimens of the Writings of Eminent Divines, with Memoirs of their Lives and Times. By R. Cattermole, B.D. Two volumes. Octavo. 25s.

Mission of the Comforter. By J. C. Hare, M.A., Archdeacon of Lewes. Second Edition. Octavo. 12s.

The Old Testament. Nineteen Sermons on the First Lessons. By F. D. Maurice, M.A., Chaplain of Lincoln's Inn. 6s.

Statutes relating to the Ecclesiastical and Eleemosynary Institutions of England, Wales, Ireland, India, and the Colonies; with Decisions. By A. J. Stephens, M.A., F.R.S. Two large Volumes, with Copious Indices. £3 3s.

Exposition of the Thirty-Nine Articles, Historical and Doctrinal. By E. H. Browne, M.A., Prebendary of Exeter. The First Volume. Octavo. 10s. 6d.

The Churchman's Guide; an Index of Sermons and other Works, arranged according to their subjects. By John Forster, M.A. Octavo. 7s.

Sacred Latin Poetry; with Notes and Introduction. By R. C. Trench, B.D. 7s.; or 14s. bound in antique calf.

Commentary on the Acts of the Apostles. By W. G. Humphry, B.D., Examining Chaplain to the Bishop of London. Octavo. 7s.

Edited for the Syndics of the Cambridge University Press.

Theophili Episcopi Antiochensis Libri tres ad Autolycum. Edidit Prolegomenis Versione Notulis Indicibus Instruxit GULIELMUS GILSON HUMPHRY, S.T.B. Collegi Sanctiss. Trin. Ap. Cantabrigienses Socius. 6s.

Sanderson De Obligatione Conscientiæ-Prælectiones Decem Oxonii in Schola Theologica Habitæ. With English Notes, including an abridged Translation by W. WHEWELL, D.D., Master of Trinity College. Octavo. 9s.

The Homilies, with Various Readings, and the Quotations from the Fathers given at length in the Original Languages. Edited by G. E. CORRIE, B.D., Master of Jesus College, and Norrisian Professor of Divinity. Octavo. 10s. 6d.

Pearson on the Creed. Revised and Corrected by TEMPLE CHEVALLIER, B.D., Professor of Mathematics, Durham. 12s.

In this edition the folio of 1669 has been taken as the principal model of the text, and the quotations from the Fathers have been verified throughout. The passages from the Rabbinical writings and Chaldee paraphrases have been carefully collated.

Twysden's Historial Vindication of the Church of England in point of Schism. Edited, with the Author's MS. Corrections, by Professor CORRIE. 7s. 6d.

Archbishop Usher's Answer to a Jesuit; with other Tracts on Popery. Octavo. 13s. 6d.

Dr. Hey's Lectures on Divinity. Third Edition. Two Vols. Octavo. 30s.

Wilson's Illustration of the Method of Explaining the New Testament. Edited by T. TURTON, D.D., Bishop of Ely. 8s.

Cambridge Greek and English Testament. Edited by Professor SCHOLEFIELD. Third Edition. 7s. 6d.

Cambridge Greek Testament. 3s. 6d.